



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispv. LXXXIX. An electio ad beatitudinem præcesserit prædestinationem
meritorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Sed contra est, quod dicitur Ephes. i. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.

autem consequenter, quod est simpliciter velle.

Explicatio Articali.

Respondendo dicendum, quod prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem & electio dilectionem. Cuius ratio est: quia prædestinatio (vt dictum est) est pars prouidentia. Prouidentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existens præceptiua ordinationis aliquorum in finem, vt supra dictum est. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem nisi præexistente voluntate finis. Vnde prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem. Ad quod pertinet electio & dilectio. Dilectio quidem in quantum vult eis hoc bonum salutis æternæ. Nam diligere est velle alicui bonum, vt supra dictum est. Electio autem in quantum hoc bonum aliquibus præ alijs cum quosdam reprobet vt supra dictum est. Electio tamen & dilectio aliter ordinantur in nobis, & in Deo, eo quod in nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono præexistente incitatur ad diligendum. Et ideo eligimus aliquem, quem diligamus. Et sic electio dilectionem præcedit in nobis. In Deo autem est e conuerso. Nam voluntas eius, qua vult bonum alicui diligendo, est causa quod illud bonum ab eo præ alijs habeatur. Et sic patet, quod dilectio præsupponit electioni secundum rationem, & electio prædestinationi. Vnde omnes prædestinati sunt electi & dilecti.

Ad primum ergo dicendum, quod si consideretur communicatio bonitatis diuinæ in communi, absque electione bonitatem suam communicat, in quantum scilicet nihil est, quod non participet aliquid de bonitate eius, vt supra dictum est. Sed si consideretur communicatio istius, vel illius boni, non absque electione tribuit, quia quædam bona dat aliquibus, quæ non dat alijs. Et sic in collatione gratiæ, & gloriæ attenditur electio.

Ad secundum dicendum, quod quando voluntas eligentis prouocatur ad eligendum à bono in re præexistente, tunc oportet quod electio sit eorum quæ sunt, sicut accidit in electione nostra. Sed in Deo est aliter vt dictum est. Et ideo sicut dicit August. Eliguntur à Deo qui non sunt, neque tamen errat qui eligit.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est. Deus vult omnes homines saluos fieri antecedenter: quod non est simpliciter velle: sed secundum quid, non

Conclusio est, secundum rationem prædestinatio supponit electionem, & dilectionem. Pro explicatione huius art. notandum est, primum hæc tria distingui à S. Thoma dilectionem, electionem, & prædestinationem. Dilectio est voluntas, qua Deus vult alicui bonum absolute, non comparatione cum alio. Electio vero est voluntas, qua vult vni bonum præ alio, id est, potius vni, quam alteri: hæc enim comparationem vnius cum alio significat. Sed quia electio potest esse ad diuersa, secundum quod Deus diuersa bona vult vni potius, quam alteri, scilicet vitam æternam, aut gratiam; ideo debemus distinguere duplicem electionem, alteram ad vitam æternam, alteram ad dona gratiæ: sicut manifeste August. distinxit, vt disput. seq. patebit. Nunc vero S. Thom. solum intelligere videtur electionem ad vitam æternam, voluntarem nimirum efficacem dandi vni vitam æternam potius, quam alteri: & de hac intelligitur conclusio articuli proposita, vt quibusdam placet.

Deinde notandum est, hoc pacto electionem distingui plane a prædestinatione, hæc enim est circa media gratiæ, illa vero circa finem, nempe circa vitam æternam: sic manifeste distinguit S. Thom. vt colligitur ex hoc art. & seq. & Scholastici omnes antiquiores. Sunt namque recentiores aliqui, qui hæc duo absque ratione confundunt, & pro eodem reputant, prædestinationem nostram factam fuisse sine meritis, & electionem ad vitam æternam; cum tamen hæc duo longe differant, vt disput. seq. & 91. videbitur. Porro prædestinationem esse voluntatem conferendi media gratiæ, plane tradit August. lib. 1. de prædest. Sanctior. c. 10. in principio, & communiter Patres, quos locis citatis commemorabimus.

DISPUTATIO LXXXIX.

An electio ad beatitudinem præcesserit prædestinationem meritum.

Sententia quorundam Scholasticorum, cap. 1.

Electioem efficacem ad gloriam factam fuisse ex meritis gratiæ præmissis, auctoritate Scholasticorum, & Scriptura probatur, cap. 2.

Quibus Patrum testimonijs eadem sententia ab alijs probatur, cap. 3.

Quid contra Pelagianos, & Semipelagianos de electione nostra contendat Augustinus, cap. 4.

Notantur aliqua, quibus magis aperta fiat sententia Semipelagianorum, cap. 5.

Electioem ad gloriam ex meritis gratiæ præmissis factam putat Augustinus, cap. 6.

Exploduntur oppositiones, quibus recentiores hæc Augustini testimonia infirmare nituntur, cap. 7.

Nihil contra hanc electionem ex meritis docuisse Augustinum, cap. 8.

Electio ad gloriam post merita à priori probatur, cap. 9.

Eadem sententia ex libertate arbitrij ostenditur, cap. 10.

Eadem opinio ex virtute, & efficacia meritum monstratur, cap. 11.

Respondetur testimonijs, quæ probant electionem ad gloriam factam ante merita, cap. 12.

Diuiduntur dua rationes eiusdem opinionis, cap. 13.

EX omnibus, quæ diximus in expositione articuli manifeste liquet id, de quo præfens suscipitur disputatio, nempe de voluntate Dei absolute, & efficaci dandi aliquibus vitam æternam, quam dare alijs non decreuit; vtrum hæc prior fuerit prædestinatione, hoc est, præparatione mediæ gratiæ, an non. Cum autem quaeritur, an fuerit prior, eo modo debet intelligi; quo supra disput. 81. cap. 5. explicauimus prius, & posterius consideratione nostra, in operationibus dei esse desumendum, ex ordine scilicet obiectorum inter se. Sicut enim inter obiecta vnum dicitur ex alio, aut propter aliud esse, ac proinde vnum prius alio: sic etiam Deus dicitur velle vnum ex alio, aut vnum esse propter aliud, & consequenter vnum prius velle, quam aliud. Cum ergo quaeritur, an electio ad vitam æternam præcesserit prædestinationem meritum, perinde est, ac si quaeratur, an electio facta dicatur ex meritis, vel nulla habita consideratione meritum, sed ita gratis, vt ex illa potius sequuta fuerint merita. Cum enim merita sint effectus prædestinationis, idem est querere, an prior fuerit electio prædestinatione, & vtrum fuerit prior meritis præuisis, an non.

In quaestione sic intellecta prior sententia sit Caiet. & non paucorum Thomistarum in hoc articulo docent, priorem quidem esse electionem ad vitam æternam, hoc est, voluntatem efficacem beandi aliquos, quam eorum prædestinationem, hoc est, quam voluntatem præparandi media gratiæ, ad hanc beatitudinem. Hanc sententiam docuerunt etiam Scotus in 1. d. 41. q. 1. §. Potest aliter, Durand. q. 1. num. 8. Aegidius ibidem quest. 1. art. 2. Maior in 1. d. 40. q. 2. post 1. conclus. Scotus super cap. 9. ad Rom. in digressionem de prædestin. Antonius Cordubens. lib. 1. q. 56. opin. 5. in 2. p. illius, pro hac opinione allegari solet S. Th. quid vero ipse sentiat videbimus infra c. 12. Eam vero recentiores varie suadere conantur, nempe Scriptura, Patribus, & ratione. Probatur ergo primo loco ex Scriptura: primo quidem quia ad Eph. 1. dicitur, *Elegit nos in ipso* (scilicet Christo) *ante mundi constitutionem, vt essemus sancti.* Non dicitur, quia futuri eramus sancti, sed vt essemus sancti. Si autem ex nostris meritis nos elegerit, eo nos elegerit se diceretur, quod futuri eramus sancti: elegerit ergo nos, vt merita daret, non quia merita nostra præuiderit: sic expendit hunc locum August. vt infra referemus. Secundo quia ad Rom. 9. de duobus fratribus Iacob, & Esau dicitur, *antequam quicquam boni, aut mali egissent, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori.* Cum ergo dicat secundum electionem propositum Dei, non ex operibus manere; sed sola gratia vocantis, & dicentis; *Quia maior seruiet minori*, sequitur electionem ante omnia merita præuisa fuisse.

Tertio quia Paulus ad Rom. 3. & 4. ad Galat. 4. ad Eph. 2. ad Titum 2. docet gratiam non esse ex operibus, aut ex meritis, quod idem est; sed electio ad vitam beatam est gratia, imo omnium gratiarum prima: ergo illa nequit esse ex operibus & meritis: alioquin non esset gratia. Quamobrem ad Rom. 11. inquit: *Sic ergo in hoc tempore reliqua secundum electionem gratia salua facta sunt. Si*

autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Quid ergo? quod quaerebat Israel hoc non est consequutus, electio autem consecuta est. Id est, sicut tempore Eliæ (cuius proxime mentionem fecerat) gratuita sua electione Deus elegerat sibi septem millia virorum, qui non flexerant genua ante Baal; sic nunc ex populo Israel reliquias (id est, pauci, præ multitudine eorum, qui damnantur) electione gratiæ, sine meritis salua factæ sunt. Nam si esset ex meritis, & operibus: non esset gratia: ideoque id, quod maior pars Israel meritis suis conabatur adipisci, non est consequuta, sed electio gratiæ sine meritis effectum suum consequuta est, saluandi scilicet reliquias, hoc est, paucos ex Israel. Quarto, Ioan. 15. dixit Christus Apostolis, & in eorum persona nobis omnibus, vt August. intelligit tract. 86. in Ioann. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Quod verum non esset, si Christus nos elegerit ex meritis. Ille enim, cuius merita eligantur, potius eligit, quam eligitur. Ex quo loco contendit pro viribus August. probare, electionem nostram factam fuisse sine meritis, ne potius dicamur nos elegerit Christum, quam ipse dicatur elegerit nos. Secundo loco afferunt varia Patrum testimonia, & imprimis August. cuius hanc esse sententiam nonnulli Theologorum existimant lib. Soliloquij cap. 28. sic enim ait: *Mundus autem de nobis filijs hominum eos, in quibus tibi complacuit habitare, &c. ac si dicat, quos iam elegeras sola tua voluntate, vt in eis habitares, &c. lib. 6. Hypognost. paulo post initium: Diximus namque, de damnabili humani generis massa, Deum præcuisse misericordia non meritis, quos electione gratiæ prædestinavit ad vitam, & lib. 5. contra Iulian. cap. 3. tract. 86. in Ioan. & de prædest. & gra. cap. 7. & de prædest. Sancti cap. 17. 18. & 19. ex professo probat electionem non fuisse factam ex meritis. Nam alioquin non esset verum illud Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* neque esset verum ad Eph. 1. *Elegit nos, vt essemus sancti.* Denique Epist. 106. parum à princ. & epist. 105. in Ezech. cap. 107. & lib. 1. ad Simplician. q. 2. re fellit eos, qui asserunt, discretos fuisse bonos à massa perditionis, propter opera, contra illud 1. ad Corinth. 4. *Qui est qui reiecit nos?* Cum ergo discretio videatur facta per electionem ad gloriam, consequitur hanc non fuisse ex operibus, & meritis.*

Postremo hoc pacto pro hac sententia arguere possumus ex Epistolis Prosperi, & Hilarij, quæ habentur 7. tom. August. ante libros de prædest. Sancti. Constat August. doctrinam de electione sine meritis apud Massilienses tempore Cassiani, & apud multos alios etiam Episcopos Galliæ, & Africae, male audisse: imo Massilienses ita acriter insectatos fuisse Proferum, quod hanc August. doctrinam defendere, vt coactus fuerit Massilia Romam ad Celestinum confugere, vt eius narrat historia, & scribit Celestinus in sua epist. de hac vero electione ante merita, quam docebat August. Massilienses in epist. illa Prosperi, sic dicebant: *Hoc autem propositum vocations Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generi humani, eligendorum & reiciendorum dicitur facta discretio, vt secundum quod placuit creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumelias sint creati: & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem temporis offerre, eo quod in vtramque partem superfluis labor sit, si neque reiectus vlla industria possit intrare, nec electus vlla negligentia possit excidere: & infra reddit causam:*

Explicatur titulus quaestionis.

s. Thom. Caiet.

Scot. Durand. Aegidius. Maior. Scotus. Ant. Cor.

Scriptura testimonia. Ephes. 1.

Rom. 3. & 4. Ad Gal. 4. Ad Eph. 2. Ad Tit. 2.

Rom. 11.

Ioan. 15.

August.

August.

Epist.

1. Corinth.

Massilienses

Prosperus

August.

Epist.

Prosperi

Massilienses

Causam

Cum si aliud habeat predestinationis electio, causa sit amissionis intentio; remoueri itaque omnem industriam tollique virtutes. si Dei constitutio humanas praeueniat voluntates, & sub hoc predestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem. Conclamabant etiam, illud ad Rom. 9. supra citatum, quod pro se afferebat Augustinum a Sanctis patribus ita fuisse intellectum, sicut ipse interpretabatur de electione ante opera, sed omnes intellexisse ex praesentia meritum, ut Deus & bona opera, & fidem elegerit. Cum igitur hi omnes recte intellexerint mentem Augustinum, quamuis eam non probauerint, nec Prosper, nec Hilarius acerrimi Augustini discipuli, nec ipse Augustinus respondens in lib. de praedest. Sanctior. Et de bono perseuer. nunquam negauerit se illud dixisse, aut dixerit Massilienses perperam suam mentem fuisse interpretatos, dubitandum non est Augustinum docuisse gratuita Dei voluntate, non ex meritis factam fuisse electionem.

Adde, quod Faustus Regienfis, aliquot post annos, Massiliensium doctrinam magnus defensor lib. de grat. & lib. arbit. sic Augustinum intellexit, ut electionem diceret esse ante opera, & lib. 2. de gratia & lib. arbit. c. 6. suppresso nomine Augustini eam seuerè reprehendit his verbis: Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, & c. In his verbis hoc vult intelligi: gentilitiae persuasione impietas, quod Deus absque vilo inter bonum, & malum moderatois examine, non ordinae regens, sed iure dominationis, illum affectu dignum reddat, hunc odio, illum recipiat studio, hunc excludat imperio, & inter duos perditos nulla consideratio laboris, nulla deuotionis habeatur, sed vnus sine ratione cessantibus officiis assumatur, alter sine discretione damnatur: ac sic dum in alterutro nec meriti ratio existit, nec delicti, aufertur omnino futuri causae iudicij. Eodem capite decretum hoc ante opera appellat fatale, & ca. vltim. de primo homine, quem Deus immortalem fecit, inquit: Iustitiae Dei fuit, vt non ante eligeret, quam probaret. & lib. 1. c. 12. electionem, quam ex Augustino retulimus ante opera, originalem, & fatalem vocat; originalem, quia esset ante opera; fatalem, quia tolleret libertatem, & c. 4. eiusdem lib. 1. contra hanc electionem ait: Quid enim vltra speret, quem iam gratia suum fecit: in quo è contrario non desperet, quem praedestinito violenta damnauit: in hoc culpa, in illo gratia locum non habet. Et in fine capituli. Si vnus ad vitam, alter ad perditionem, vt asserit, deputatus est, fuit quidam Sanctorum dixit, (intelligit certe Augustinum) non iudicandi nascimur, sed iudicati. Ac si dicat; si ita ad regnum caelorum destinamur sola Dei voluntate, sine nostris meritis, quid iudicamur de operibus; si quidem sine illis destinati sumus ad regnum?

Ex recentioribus vero Driedo lib. de concordia lib. arb. & praedest. 1. p. cap. 2. & 4. ad 1. argum. Ruar. a. 7. p. 245. circa fin. Sixtus Senens. lib. 6. Biblioth. Sanctae, anno. 171. & 251. fatentur Faustum, & alios Patres, Massilienses, & Gallos, imò & Graecos contra Augustinum docuisse, electionem, & voluntatem dandi gloriam, non fuisse ante merita prauius, vt contra Manichaeum libertatem defenderent. Contra vero Augustinum vt contra Pelagium gratiam extolleret, dixisse, illam fuisse ante vlla merita.

Ex quibus pro hac sententia colligere licet, hanc fuisse mentem Augustini, vt diceret electionem esse ante opera prauius, si quidem tot Patres ita ipsum intellexerunt, & impugnant, nec eius discipuli aduersarij vnquam responderunt, sane Vaquez in 1. part. Tomo I.

sententiam ei falso impositam fuisse. Imò neque ipse Aug. hac ratione se vsquam excusauit; sed vbi que eam opinione pro viribus defendere conatus est, vt ex lib. de praedest. Sanctior, perspicue constat. Multo autem melius nobis est cum Augustino quam cum alijs sentire. Qui, vt dixi, in materia de gratia, & praedestinatione inter caeteros Ecclesiae Patres, non aliter, quam Sol inter caetera minima sidera, praesulget.

Adde, sententiam hanc, quam diximus esse Augustini, definitam esse, vt Catholicam, & oppositam aperte in Ecclesia damnatam, Nam Petrus Diacon. lib. de Incarnat. cap. 8. qui habetur inter opera Fulgentij anathematizat cum multis alijs Graecis Diaconis, & monachis, nempe totius Ecclesiae orientis, cuius fidem Romae professus est, libros Faustus Regienfis, quod contra doctrinam Augustini, imò & Apostoli doceat: eosdem damnat Ioannes Maxentius in responsione ad Epistolam Hormisdae, quae habetur in 5. tom. Biblioth. sacrae: imò & Caelestinus episc. 1. ad episcopos Galliae, defendit Prosperum, & Augustinum à suspitione male doctrinae contra Massilienses, ipsos vero Massilienses acriter reprehendit, quod doctrinam Augustini notare auli fuerint.

Tertio loco haec eadem opinio ratione probatur primum, voluntas finis prior est voluntate mediocum ordine causalitatis, & rationis: sed voluntas eligendi homines ad gloriam est voluntas finis, quia gloria est finis meritum, & voluntas dandi merita, est voluntas mediocum: ergo prior est voluntas dandi gloriam, quam dandi merita. Decernit ergo Deus, antequam videat futura merita, quae ipse daturus est, dare vitam aeternam tanquam finem. Porro non sufficere communem voluntatem, qua vult omnibus dare vitam aeternam, antecedenti illa & simplici voluntate, de qua disput. 82. satis dictum est, probatur. Quia voluntas dandi mediae gratiae praedestinat, vt mereantur, est efficax: imò est voluntas dandi mediae efficacia: ergo haec debuit procedere ex voluntate efficaci dandi gloriam. Praeterea nisi praedestinati à reprobis distinguantur voluntate illa circa finem, non poterunt distingui diuina prouidentia circa mediae gratiae praenientis, donec videatur illorum consensus. Iam ergo praedestinati, quae est peculiaris prouidentia circa eos, qui saluantur, non incipiet, nisi à consensu: & cum huius nos sumus causa, iam primi effectus praedestinationis, quo praedestinati à reprobis incipiunt distingui ipsi erunt causa. Vt ergo à gratia praeniente distinguantur praedestinati à reprobis, necesse est, vocationem praedestinatorum esse ex voluntate efficaci finis.

CAPVT II.

Electionem efficacem ad gloriam factam fuisse ex meritis gratiae praenientis, auctoritate Scholarum, & Scripturae probatur.

Cum res haec ad nostra vsque tempora parum fuerit inter Doctores controuersa; operetium me facturum existimauit, si in medium adducerem oppositam sententiam, non paucis, nec indoctis Theologiae professoribus in Germania, Gallia, & Hispania, hoc nostro saeculo probatam: eiusque fundamenta in hoc capite, & sequentibus iacerem, quae, vt verum fatear, non parum momenti habent. Opinio vero diuisa continet

Petrus Diacon.

Ioannes Maxentius.

Primum argumentum pro sententia S. Thomae.

Secundum argumentum.

Aug.

Frastu ob...

Episc.

Corin.

Driedo, Senens.

Manichaeum

tinere partes: prior est, nullam electionem efficacem ad gloriam ex sola Dei voluntate fuisse; antequam merita præuiderentur ex gratia, sed quemlibet ad gloriam electum fuisse ex meritis præuisis, quæ Dei gratia facturus erat. Posterior est, ante merita gratiæ præuisa, nullam peculiarem affectionem, dandi gloriam Deum habuisse erga prædestinatos, sed circa omnes etiam reprobos habuisse communem voluntatem simplicem, & antecedentem, quæ omnibus vitam æternam, tanquam præmium, & præmium commune æque proposuit & desiderauit.

Prior pars ab hoc capite vsque ad 12. auctoritate, & ratione nobis confirmanda est: posteriorem vero cap. 13. demonstrabimus. Priorem igitur ex professo docent *Bartholomeus Camerarius in dialog. cap. 5. Osorius lib. 9. de iustitia, & noster Franciscus Turrianus in opusculo de electione & VVilhelmus de Rubione in l. d. 4. r. q. 1. art. 1. & artic. 2. concl. 3.* cum affirmat, prædestinationis dari causam, nempe merita facta ex gratia, intelligens nomine prædestinationis solam voluntatem dandi vitam æternam, non autem præparandi media gratiæ. Idem sensisse videtur *Minor in l. d. q. 2. fauet ex parte OKAM in l. d. 4. r. q. 1.* cum asserit prædestinationem ad regnum cælorum fuisse ex meritis gratiæ præuisis, loquitur enim de prædestinatione, non ut ceteri Scholastici loquuntur, quatenus est præparatio mediæ gratiæ; sed de voluntate tantum dandi gloriam, quam alij appellant electionem ad regnum cælorum: excipit tamen quosdam quos aliqui eximie prædestinatos vocant, ut Beatam Virginem, Apostolos, & alios, eos enim asserit fuisse electos ad beatitudinem æternam gratis, non ex præuisione meritorum, cum qua distinctione sequitur eius sententiam *Gabriel eadem d. q. 1. art. 2. & Catharinus opusculo de prædest. Dei lib. 1. c. vii. & lib. 3. c. 1. & 2.* Omnium tamen eandem esse rationem ex professo ostendimus disp. seq. nunc vero satis sit generatim probare, electionem hanc efficacem ad regnum cælorum factam fuisse ex meritis præuisis, quæ Deus sua gratia largiturus erat.

IO
Barthol.
Camerar.
Osorius.
Francisc.
Turrian.
OKAM.
Vuillet.
Rubion.

Gabriel.
Cather.

Ex Matth.
25. asseritur
electio ad
gloriam ex
præuisione
meritorum.

II

Chrysof.

Explicatur
verba
Chrysof.

Primo ergo colligitur hæc sententia ex illo Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi.* Vbi Christus offert regnum præparatum ab origine mundi, id est, ab æternitate: hac enim phrasi æternitas quoque designatur, reddidit rationem, cur debeant accipere præparatum, & destinatum regnum: *Esurius enim, & distis mihi manducare.* Quibus verbis non solum reddit rationem, ob quam accepturi sunt regnum, sed quare etiam accepturi sint præparatum, quod est causam præparationis indicare. Nam si alia ratione esset præparatum, nec propter ipsa merita, inanis sane esset causa, quam assignat: id quod ratione, quam pro hac sententia c. 9. & 11. afferemus, magis confirmabitur.

Nec verum quidquam obest Chrysof. Hom. 54. in Matth. vbi explicans hunc locum, ait. *Nunc autem quoniam non secundum mercedem hominum, sed secundum suam largitatem constituit mercedem sanctorum, ideo antequam sanctos crearet in seculo, regnum cælorum præparauit in celo. Propterea quos ante constitutionem mundi suos esse cognoscit, tantis eos laboribus onerat, & tandem laborare facit donec digni efficiantur regni cælorum.* Hoc, inquam, nihil obstat: quoniam cum dicit, non secundum mercedem hominum, sed secundum suam largitatem constituisse merce-

dem sanctorum, intelligit, Deum non constituisse mercedem regni cælorum, secundum merita ex nostris proprijs viribus: nam verbis proxime præcedentibus sic ait. *Non enim quantum iustitia hominum potest mereri, tale creatum est regnum cælorum, sed quale Dei virtus potuit preparare.* Hoc ergo est non secundum mercedem hominum. Cum vero dicit secundum suam largitatem constituisse mercedem, plane denotat ex meritis gratiæ eam præparasse: nam si est merces, ex meritis esse debet. Dicit autem, secundum suam largitatem, quia ipse quoque largitus est, vnde illam mereamur. Denique cum addit, quos suos esse ante constitutionem mundi cognoscit, tandem laboribus onerare, quamdiu digni efficiantur regni, non significat, cognouisse eos prius factos esse futuros, quam eis gratiam dare decreuisset, & eorum præuideret merita: sed eos, quos sic futuros nouit, ait tantis onerasse laboribus, ut tanto premio digni efficiantur, non alia quidem ratione, nisi quia regnum cælorum, ut merces, propositum erat. Nam si gratis, & ex se solo dare decreuisset, frustra expectaret, donec eos dignos efficeret, ut cap. illo 9. & 11. non obscure probabitur. Accedit, quod idem Chrysof. hom. 6. in illud Matth. 26. *Sed quibus paratum est a Patre meo,* sic ait: *Non est meum id dare, sed quibus labore, atque sudore paratum est.* Vbi plane docet, regnum esse præparatum, intelligit autem æterna præuisione, propter laborem, & sudorem.

Secundo hanc eandem causam præparationis regni cælorum per merita non minus discrete tradit Paulus 1. ad Corinth. 2. verbis desumptis ex *Isai. 64. cap. Oculis non vidis, &c. que præparauit Deus, qui diligunt illum.* vbi illud, *is, qui diligunt illum,* secundum communem loquendi modum causam præparationis indicat. Nam si quis dixerit regem destinasse equum vel vestem, aut quid aliud pretiosum ascendentibus muros ciuitatis, vel taliter pugnantibus, significaret quidem non alio modo dare decreuisse, quam ex meritis in bello. Nec tamen ille loquendi modus denotat, Deum in executione ita facturum, ut solo intuitu meritorum illud conferat, sed etiam in sua definitione, & decreto primo, quauis ratione considerato, non aliter statuisse. Nam si gratis alicui destinasset dare, etiam si postea eum de se bene meritum intelligeret, non diceretur bene merenti, aut bene certanti præparasse, sed Petro, aut Iohanni donare voluisse; quos nihilominus postea dignos tali præmio esse cognouit. Reliqua quoque verba *Isaiæ* hunc nostrum sensum non leuiter confirmant. Nam pro eo, quod habet Paulus, *is qui diligunt illum.* Habet *Isaias* secundum vulgatum, *Espectantibus te, & subiungit, Occurrunt tibi, & saluenti iustitiam.* 70. vero conuertunt. *Occurrer enim saluentibus iustitiam.* Vbi expectatio illa, cui Deus bona præparat, & occurfus ille causam apertam significat meritorem.

Obijcies Paulum ad Hebræos 5. qui de Christo sic dicit: *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis, vbi casus dandi. Obtemperantibus, non significat causam, neque enim quia quis obtemperauit Christo factus est illi Christus causa salutis, sed potius, ut obtemperaret. Cæterum hoc parum obest, hic namque modus loquendi, factus est obtemperantibus causa salutis, plane indicat, Christum fuisse causam ipsius obedientiæ, & vt obtempe-*

obtemperarent: eorum enim salus, cuius Christus dicitur causa, fuit obedientia. Ac si Paulus diceret, ijs, qui obtemperant, in quo eorum salus sita est, Christus causa fuit, vt obtemperarent, ac proinde salutis eorum auctor censetur. At dicere, Deum promississe, aut præparasse regnum diligentibus se, certe longe diuersus modus loquendi est, quo plane denotatur, de disse ipsum regnum, non gratis, sed ob dilectionem, & bona opera, & denique vnum ob aliud definisse.

Tertio idem probatur ex illo Iacob. 2. *Nomine Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide & heredes regni, quod promissit Deus diligentibus se.* Nam tamen si hunc locum aliter interpretetur *August. libr. 1. de pred. sancti. cap. 17.* vt eligere diuites in fide, & heredes regni, idem sit, quod facere diuites, & heredes, contextus tamen Apostoli non ita commode hanc parit interpretationem; sicut eam, quam statim dicemus. Si enim eligere diuitem in fide, est facere diuitem in fide: eligere etiam pauperes in hoc mundo erit facere pauperes in eo. At Iacobus non significat Dominum fecisse pauperes in hoc mundo (quanquam verum est, etiam eos fecisse, suadendo omnia pro seipso relinquere) sed eos, qui in hoc mundo pauperes erant, & abiecti, quia temporalibus diuitijs carebant, diuites tamen in fide, sui elegisse, vt ita ostendat, non esse contemnendos pauperes in seipsum & locorum distributione, cum ita magna Deo fiant, si sunt diuites in fide, & heredes regni. Quod si diuites in fide electi sunt, sequitur eorum fidem elegisse, non quidem ad gratiam: ad hanc enim etiam pauperes in fide, & nondum heredes regni eliguntur; sed ad gloriam, & vt indicaret se de æterna illa electione loqui, subiungit: *Quod promissit Deus diligentibus se, diuitibus scilicet in fide, & operibus.* Porro in æterna Dei præscientia frustra duplicem electionem assignari, aliam ante merita, aliam post merita, cap. 7 & 8. u. fufius probandum est. Nunc vero hæc Scripturæ testimonia pro hac sententia dicta sufficiant.

CAPVT III.

Quibus Patrum testimonij eadem sententia ab alijs probetur.

Sixtus Senensis loco superius allegato, qui existimat communem sententiam Græcorum Patrum, imo etiam quorundam latinorum in hac re *Augustin. aduersari*, plura Patrum congerit testimonia, vt probet electionem hanc ad vitam æternam, quam ipse censet esse prædestinationem factam fuisse ex præuisis meritis. In primis ergo ex Græcis est *Orig. libr. 7. in epist. ad Rom.* non longe à fine, qui circa illud cap. 9. *An non habet potestatem figulus, &c. ait, Iacob, electum fuisse vas in honorem, quia se emundauit: videns enim Deus puritatem eius ex eadem massa Adami, fecit ipsum vas in honorem Deo de Chrysof. homil. 16. in epist. ad Rom. & Theodor. in illa verba: Non solum autem, sed & Rebecca, idem quoque Theod. Theoph. & Oecumen. in illud quos præscit, & prædestinavit. Et idem Theoph. in illud eiusdem capituli, ijs, qui secundum propositum vocati sunt sancti: plane docent electionem factam fuisse ex meritis præuisis.*

Horum tamen auctoritate, quanquam aliquo maximi momenti est, hanc sententiam nollem

confirmare. Existimo namque eos contra Augustinam sensisse, sicut & latini aliquot, quos infra referemus, non quidem in hac, de qua differimus, controuersia, sed in alia de qua disputat, 90. tractabitur. Loquuntur enim de electione non ad gloriam ex meritis gratiæ, sed ad primam gratiam ex meritis arbitrij. Id quod clarius expressit *Orig. in verba illa eiusdem capituli: Voluntati enim eius quis resistit?* Hos autem Patres loqui de hac electione ad primam gratiam, quam ex meritis arbitrij in tempore quoque dari putabant, cap. sequenti planum fiet. Quare non debent *Driedo. Sixtu Senens. & Ruardus*, quos cap. 1. retulimus, hos Patres opponere sententiæ Augustini, in hac, de qua nunc agitur, questione, de electione scilicet ad gloriam ex meritis gratiæ, siquidem de hac re nunquam cum *Aug.* dissentio fuit; sed in questione tantum de electione ad gratiam, in qua diuerso modo eos sensisse, sed minus recte, cap. seq. & disp. 91. cap. 7. & 8. monstrabo.

Ex latinis vero refertur etiam pro hac sententia prima *Ambros. in illa verba ad Rom. 9. Iacob dilexi, &c. ubi sit ait: Præscientiam Dei flagitat in his causis: sciendo enim quia vnusquisque illorum futurus esset, dixit, &c. & iterum: Vnum elegit præscientia, alterum spreuit. & infra, Nam neminem damnat, antequam peccet, & nullum coronat, antequam vincat. Et in illud: Scimus quoniam diligentibus Deum, &c. inquit: illos, quos præscit sibi deuotos, ipsos elegit ad promissa præmia capienda. Quibus testimonij prædicta opinio multo melius probari potest. Nam verbis citatis aperte loquitur *Ambrosius* de electione ad vitam æternam. Neque nocet quicquam, quod cum agit de electione ad gratiam, sententiæ Græcorum non nihil faueat in illa verba Pauli ad Rom. 8. citata, & in illud cap. 9. *Misereror, cuius misereror*, cum asserit, vocationem Dei, quæ est secundum propositum, qua Deus dicitur misereri, præueniendo scilicet gratia sua, ijs dari, qui cognoscuntur idonei futuri, vt respondeant. Nam licet de electione ad gratiam cum Græcis plane sentiret, dicens esse ex operibus arbitrij: electionem tamen ad gloriam nunquam docuit fieri ex his meritis, sed ex meritis à gratia profectis.*

Neque vero Græci Patres vsquam dixerunt electionem ad gloriam ex meritis arbitrij esse. Hi enim, si quid de gratia minus recte dixerunt, non omnino senserunt cum *Pelagio*, qui palam dicebat ex proprijs vitibus nos iustificari posse, & vitam æternam promereri: absit: solum dixerunt, vt cap. 4. & 6. referemus, auxilium gratiæ, quod dicebant esse necessarium ad iustificationem, & ad merita vitæ æternæ, dari nobis, industria nostra prius laborantibus, & quadamtenus illud promerentibus. Cum verò de retributione vitæ æternæ, quæ fit in tempore, loquuntur, pleno ore fatentur, eam dari filijs Dei gratia ipsius iustificationis & ex auxilio gratiæ hanc eam promerentibus. Quod si de electione ad gloriam, ab æterno in mente Dei facta, sermone incidisset, dixissent plane, ex meritis gratiæ Deum ab æterno iustos elegisse ad regnum. Nam vt infra dicemus capite etiam 4. hoc nunquam in Ecclesia fuit controuersia, nec esse potuit inter Patres, qui simul docent in tempore gloriam non nisi ex meritis dari. Porro licet commentarij illi à multis censentur non esse *Ambrosij*, nihilominus omnino contemnendi non sunt.

Græci Patres cum dicant electionem factam ex præuisis meritis, de electione ad gratiam loquuntur. Driedo. Sixt. Sen. Ruardus.

Ambros. Rom. 9.

17

Quo differat Græcorum Patrum & Pelagij sententia.

18

Hieronym.

Malac. 1.
19

Expenduntur
verba Hier.
de electione
divina.

Augustin.

Ad Gal. 1.
Ad Rom. 9.
Chrysost.
Hieronym.
cum Græcis
videtur sub-
iungere gra-
tiam labori
humano.

Sedulius.
Ad Rom. 8.
Sedulius de
electione ad
gratiam ma-
le, de electio-
ne ad gloria
preclare.
Ad Rom. 9.

20

Faufus cum
Græcis Patri-
bus loquitur.

Secundo loco refertur Hieronym. in epist. ad He-
dibiam, quæ est 150. quæst. 10. ubi explicans illud
Malachiæ 1. *Jacob dilexi &c.* inquit. *Non saluat irrationabiliter Deus & absque iudicij veritate; sed causis præcedentibus; sed quia alij non susceperunt filium Dei, alij autem recipere sua sponte noluerunt.* Et infra; *Ex quo ostenditur non gentes eligi, sed hominum voluntates.* Certe Hieronym. aut loquitur de electione ad remissionem peccatorum, quæ fieri potest ex meritis de congruo, non nudi arbitrij, sed cum auxilio gratiæ, nam ipsi, qui filium Dei fide susceperunt, & crediderunt, dedit potestatem filios Dei fieri, & iustificari. Quocirca faretur August. epist. 105. longe à principio, remissionem peccatorum non esse sine meritis fidei, si fides eam impetrat: aut loquitur Hieronym. de electione ad vitam æternam: quod mihi sit probabilius, & de hac iure optimo dixit, non fieri sine iudicij veritate, atque ea eligi non homines nudos, id est, sine operibus, sed hominum voluntates, hoc est, homines operibus & meritis ornatos propter ipsam remissionem in illud ad Galat. 1. *Cum placuit ei, &c.* Nihil tamen huic sententiæ fauet. Sed in ea verba ad Rom. 9. *Cuius vult miseretur:* facere videtur cum Chrysostom. labori humano subiungens gratiam; quæ sententia est plane contra August. nec satis rata, ut infra videbimus. Verum hoc nihil obstat, quo minus prædicta opinio de electione ad gloriam recte ex Hieron. comprobetur, sicut de Ambrosio proxime dicebamus.

Tertio accedit Sedulius, qui in ea verba ad Roman. 8. *Ipsi qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Sic loquitur: *Secundum quod proposuit saluare sola fide quos præciterat credituros, & quos gratis vocavit ad salutem, multo magis glorificabit operantes: & in verba sequentia, Hos quos præciterat, futuros denotat sibi, ipsos elegit ad promissa præmia capienda, & in illud Roman. 9. *ut secundum electionem, &c.* Sciendo enim quid vnusquisque illorum esset facturus, dixit, ille erit dignus, qui erit minor, & qui erit maior, erit indignus salute. Hoc quasi præciterat, non per sonatum acceptor dixit. Et in illud eiusdem cap. *Jacob dilexit, &c.* Quid mirum, si iustitia diligat innocentiam, & si respiciat iniquitatem, apud quem futura sunt facta?*

Hæc omnia retuli, ut videamus quomodo hic auctor faueat Græcis, & Massiliensibus, cum quibus videtur ex vna parte docere, respexisse Deum laborem nostrum proprium, & industriam, ut daret nobis suam gratiam, tamen paulo infra habet verba quædam August. ex quæstione ad Simplic. quibus sententia Græcorum omnino confutatur: ac proinde cætera huius auctoris in bonum sensum explicari possunt: & ex alia parte constat, quo pacto de electione ad gloriam recte loquatur, cum ait, quos præciterat deuotos, ad promissa præmia capienda elegisse: & iterum, si gratis vocavit ad salutem, scilicet gratia sua, quos sciuit esse credituros, multo magis glorificabit operantes: hoc est, multo magis quos præciterat gratia sua recte operaturos, ad regnum gloriæ elegit.

Quarto demque referri solet Faustus Regien. cuius testimonia recitata sunt cap. 1. huius disput. sed hunc auctorem in Græcorum opinione fuisse, eamque contra Aug. illis loc. tradidisse infra cap. seq. ostendemus. Hoc tamen mihi persuasum habeo, si de electione ad vitam æternam loquitur, non aliter ipsum dicturum, quam reliquos:

nimirum, ex meritis eam factam fuisse, eo quod in tempore ex meritis gloria danda sit, sicut proxime notauimus.

CAPVT IV.

Quid contra Pelagianos, & Semipelagianos de electione. *stra contendat August.*

TAmetsi aliorum Patrum auctoritas in omni controuersia magni ponderis apud omnes esse debeat, in hac tamen de qua nunc agitur, vnus pro multis mihi semper erit Augustin. non solum quod omnium, qui bene sentiunt, iudicio, inter cæteros plurimum emineat, sed quod dum seuerius, quam alij, pro gratia Dei contra liberum arbitrium, & propria merita loquens, hanc electionem ex meritis gratiæ factam affirmat; perspicue ostendit, nihil huic nostræ controuersiæ esse commune cum ea, quam disputat, nam gratia datur ex meritis; quas tamen duas quæstiones Theologi nostri temporis non pauci absque ratione confundunt. Conabor igitur August. testimonijs bifariam hanc confirmare sententiam. Primum ostendam aliquibus in locis discretis verbis eam tradidisse. Præterea nullibi oppositum, vel leuiter, inuenisse. Sed ut melius, quæ ex August. referemus, intelligantur. operæpretium duxi, ante omnia paucis exponere, qua de re inter ipsum, eiusque discipulos ex vna parte, & Cassianum, Massiliensium ceterosque Gallos ex alia, suborta fuerit de prædestinatione gratiæ dissensio.

In hac igitur de gratiæ prædestinatione controuersia; contra duos errores August. pugnavit. Primum contra Pelagium, & Celestinum, qui de gratia, hæc asserunt. Primo posse hominem, solis naturæ viribus, absque vlla alia gratia, quam creationis, prædicationis, & præcepti, quas dicebant dari sine meritis; seruare totam legem, iustificari, in iustitia vsque ad mortem perseverare, & gloriam consequi. Sic colligitur ex epist. 90. & 95. apud August. & epist. 105. 106. & 107. ex Concilio Mileui. can. 4. & Africano circa tempora Bonifacij, can. 79.

Secundo gratiam quidem Christi interiorum dari, sed eam tantum esse vilem ad facilius, & melius operandum, & præstandum quæ diximus, non tamen esse necessariam, ut simpliciter ea faciamus. Huius erroris meminit August. epist. 106. quem in Pelagij scriptis deprehendit post retractationem subdolum, quam sui erroris fecit in Concilio Palæstino, & contra illum statuitur canon. 5. *Conc. Mileuitani, & 80. Africani, circa tempora Bonifacij 1.*

Tertio dicebant hanc gratiam secundum merita nostra, hoc est, ex proprijs viribus condigne nobis dari ad melius, & facilius operandum. Hunc errorem fraudulenter retractauit Pelagius in Concilio Palæstino apud Diospolim, ut dicemus infra, disput. 91. cap. 9. intelligens per gratiam Dei, quam fatebatur sine meritis dari, donum creationis: ut constat ex *Epistola 90. & 95. apud August. & ex Epistola 105.*

Contra hos contendit August. in tempore necessariam esse nobis gratiam Christi internam, præter præceptum, & donum creationis, atque prædicationis, ut seruare possimus omnem legem iustificari, & gloriam consequi; eamque esse initium omnis meriti, atque adeo ex nullis nostris meritis dari: intelligit merita liberi arbitrij, & gratiam non

non secundam, sed primam, quæ ab initio nobis conferatur. Neque enim negat, mereri nos posse secundam gratiam, & auxilia posteriora, si prius moueamur ad ea promerenda anteriori alia gratia. Hoc eodem modo locutus est vbiq; de prædestinatione Dei. quæ in eius sententia lib. 1. de prædest. sanct. cap. 10. est præparatio donorum gratiæ, vt scilicet ea non fuerit ex meritis præuicis, sed sicut Deus in tempore dat gratiam sine meritis, sic in æterna sua prouidentia sine meritis dare disposuerit. Nam, vt infra videbimus, inter merita, & id, quod datur ex meritis, eundem feruat ordinem Deus ex Augustini sententia, in æterna dispositione, quem in tempore seruatior est: vt si daturus est ex meritis, disponat dare ex meritis: alius enim ordo peruersus esset.

At sicut contra Pelagium nunquam demõstrat Aug. gloriam dari ex meritis (hoc enim Pelagius non negabat) sed tantum gloriam ex meritis gratiæ, non ex meritis arbitrii conferri, vt Pelagius dicebat: sic etiam nusquam contra Pelagium ostendit, electionem ad gloriam, seu voluntatem glorificandi, non fuisse in Deo ex præuisione meritorum, & omnino gratis, sed fuisse ex meritis præuicis quæ ipse gratia sua largitor erat, & sicut contra Pelagium contendit, in tempore non dari gratiam ex meritis arbitrii, sic etiam probat, non fieri prædestinationem gratiæ illis. Contra hos, Pelagium scilicet, & Cælestini, eorumq; discipulos, congregatum fuit Concilium Mileuitanum, & alia Africana: Aruiscanum vero secundum celebratum fuit potissime contra Semipelagianos, de quibus subinde dicemus. Cum vero Pelagius disputans de gratia assereret, eam non esse necessariam, non loquebatur de gratia habituali, aut de gratia remissionis peccatorum tantum, sed de auxilio gratiæ, quod ipse negabat, esse necessarium, sed sufficere dicebat arbitrium cum noticia præcepti: & cum Patres ab eo contenderent, vt gratiam Dei sine meritis necessariam esse fateretur, non tantum contendebant, vt gratiam remissionis peccatorum concederet, nam vt inquit August. epist. 105. hæc non est sine meritis, quandoquidem fides eam impertat: sed vt concederet gratiæ adiutorium à quo incipit opus nostræ iustificationis, vt ibidem ait Aug. quem referemus disp. 91. cap. 5. quod adiutorium ipse Aug. tribuit fidei.

Deinde disputabat Augustinus contra alium errorem, eorum scilicet, qui dicuntur à Prospero, & Hilario de reliquijs Pelagianorum, & vulgo Semipelagiani nuncupantur. Hi erant Massilienses, quorum caput, & auctor doctrinæ contra Aug. ex professo fuit Cassianus, vt constat ex epistolis Prosperi, & Hilarij ad August. quæ sunt ante librum de prædestinatione sanctæ. & ex epist. 1. Cælestini primi, vbi suppresso nomine, eius fit mentio, & ex Prosperi in lib. contra collationem c. 1. Horum sententiam secuti sunt multi per Galliam episcopi, ad quos Cælestini epistolam illam scribit: Inter quos fertur fuisse Vincentius Litinensis. Horum omnium obiectiones, sunt apud Prosperi contra August. doctrinam, lib. ad cap. Gallorum, & lib. ad obiectiones Vincentianas, quibus ipse Prospero optime respondet, quinimo, vt ipse Prospero cum Hilario testatur, multi per African episcopi de doctrina August. male senserunt.

Hi omnes, vt pote viri alioqui Catholici, & religiosi contra Pelagium, & Cælestinum gratiam

Christi fatebantur, non solum externæ prædicationis, sed internæ etiam inspirationis: non solum vilem, sed etiam necessariam ad iustificationem, perseverantiam, & merita æternæ vitæ, qua nisi adiuuarentur conatus nostri, non modo difficile consequerentur, quod contendimus, verum etiam irriti omnino essent, & inanes ad iustificationem, & merendum vitam æternam. Addebant nihilominus esse in nobis initia quædam ex nostro proprio labore sine vlla gratia Christi interius mouente, quibus inciperemus, vt deinde gratia Dei nobis concederetur ad promouendos conatus, & desideria nostra. Ideo hæc vna eorum erat propositio: *Labori humano subiungitur gratia*, & alia similis: *Conatus nostri*, hoc est, ex nostris viribus irriti sunt, nisi gratia Dei adiuuentur, & promoueantur.

Hæc doctrina colligitur ex tota collatione 17. Cassiani, & ex lib. Prosperi contra illam, ex lib. 12. de institutis Canoniorum cap. 11. 12. 13. 14. & ex Fausto Regien. toto lib. 1. & 2. de gratia, & lib. arbitr. multis in locis, quæ refert Hormisdæ Papa epist. ad possessorem, & Ioannes Maxentius in responsione ad hanc epist. quæ habetur 5. tom. Biblioth. sac. sed lib. 1. ca. 17. & locis citatis in i. c. manifeste hanc tradit doctrinam. De gratia enim Dei cap. illo 17. dicit: *Inuitat volentem, attrahit desiderantem, erigit adiuuentem*: & infra inquit, gratiam Dei postulare à nobis prius obedientiam præcepti, vt veluti per ansulam quandam eam apprehendar: & 2. lib. cap. 10. ad hoc inquit, nos idoneos non esse (intelligit ex nobis) vt iustificemur, & gloriam promereamur, & ideo adiutorium Dei esse necessarium: *Saltem*, inquit, *querendi, & pulsandi importunitate placeamus*. Sententiam huius auctoris colligit Petrus Diaconus lib. 1. de incarnatione, & gratia domini nostri Iesu Christi cap. 8. *Anathematizamus* (inquit) *libros Fausti Galliarum Episcopi, qui de monasterio Lininensi prouectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse, non dubium est. In quibus non solum contra horum sanctorum Patrum, verum etiam contra ipsius Apostoli contradictionem veniens, humano labori subiungit gratia adiutorium, &c.*

Et in concilio Arausico, cuius canones à Leone primo opera Prosperi tunc eius Secretarij editos esse, & stylus ipse, & materia contra Semipelagianos, atque ipsius Prosperi historia indicant: omnesque esse ex doctrina Aug. liber. Sententiarum per Prosperi collectus manifeste demonstrat, vt infra disp. 91. c. 11. dicemus. Can. 6. damnatur, qui dixerit, sine gratia Dei credentibus volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, pulsantibus, misericordiam dei dari; vel qui humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium. His enim fere verbis utebantur, qui erant de reliquijs Pelagianorum. Sic Cassianus lib. illo 12. de instit. canob. c. 14. inquit, gratiam dei dari petentibus, aperiti pulsantibus, & à querentibus inueniri. Huius erroris, quod nondum deprehensus in Ecclesia Dei esset, nulla mentio fit in Concilio Mileuit. & Africanis; in quibus contra Pelagium actum est.

Porto, vt narratur in vita Prosperi, & in epistola præfixa eius operibus nuper à Louanienfibus editis, hæc doctrinam Cassianus desumpsit ex Grecis Patribus, præsertim ex Chrysof. quem habuit magistrum. Horum autem omnium auctoritatem ipsi Max. Aug. opponebant, quod aliter intelligeret illud ad Rom. 9. *Non ex operibus, sed ex vocante, &c.* Roman. 8.

Cassian. V.
Prosper.
Faustus.
Hormisdæ
Papa.
Maxent.

25.

Petrus Diaconus.

Leo 1.
Prosper.

Cassianus.
26.

Roman. 8.

VI 86

Prosper.
Hilarius.
Chrysof.

vt referunt *prosper*, & *Hilarius* in illis epistolis. Loci insignes *Chrysof.* sunt tom. 1. Homil. 42. in *Genes. versus finem*, & homil. 27. in *Genes. col. 8.* cum loquitur de pœnit. hic enim auctor concedit aliquam ex nobis pœnitentiam, ac proinde dilectionem, & spem, quæ tamen ex se non sufficiant ad delendum peccatum, nisi accedat gratia Dei, quæ ad perfectiores actus nos moueat. Idem docuit *Cassianus* collatione 20. c. 8. vbi inter remedia ad impetrandum veniam assignat ex parte nostra pœnitentiam, quam, inquit, non fore condignam veniam peccatorum, nisi gratia Dei promoueatur: quo pacto de alijs dispositionibus ex parte nostra loquitur li. 12. de institutis cenobiorum c. 13. & 14. & vt scribit *Hilarius*, quem nos referemus disput. 91. c. 12. nonnulli *Massil.* aliquales ex nobis compunctionem antea vitæ concedebant, vnde gratia Dei in nobis occasionem caperet. Ex quib. obiter adnotare libet, quam sine fundamento recentiores nonnulli, non satis intellecta mente horum Patrum, eorum testimonijs vtantur, ad probandum, opus perfectæ contritionis caritate formatum ex auxilio gratiæ præuenientis, non sufficere ex se ad iustificationem sine noua alia gratia, & fauore: siquidem hi Patres loquuntur de pœnitentia deprompta ex proprijs virib. quam, præter *Pelagium*, nemo dixit sufficere ad iustificationem: de alia vero suo loco disputabimus. Et eandem doctrinam habet idem *Chryf. hom. 2. in Psal. 50. tom. 3. homil. 12. in epist. ad Heb. in exposit. moral. & homil. Quod nemo laeditur, nisi à seipso*, non multum ante finem, loquens de trib. pueris: tom. 3. homil. 12. in *Ioan.* in illud: *Conuersus Iesus, &c. & serm. 1. de verbis Domini, habentes eundem spiritum*. Cum eo etiam sentierunt Græci Patres citati, pro priori sent. c. 1. vt ex verbis eorum liquido constat, Docent ergo omnes, nos incipere nostra industria, deinde gratiæ Dei adiutorium subsequi, vt tandem iustificemur, & in gratia perseverantes cælorum regnum promereamur. Verum quia non pauci, nec indocti nostri temporis Theologi, historia non bene perspecta, varie interpretantur hunc *Massilienum* errorem, contra quem *Aug. Prosper*, & alij *Aug. discipuli* pugnant: vt quisque quam docet opinionem, ad hoc errore tueatur, vel mentem *Aug.* in suam sententiam sinistre detorqueat, placuit sequenti ca. quædam annotare, ex quibus non solum *Massili.* sent. perspicua fiet, verum etiam testimonia, mentemque *August.* in præsentī controuersia facile intelligemus.

27

CAPVT V.

Notantur aliqua, quibus magis aperta fiat sententia semipelagianorum.

Pelagius.
Cælest.
Cassian.

Chrysof.
Faus.

Hilar.

PRimo igitur obseruandum est, quod initio diximus, hos auctores alioqui pios & religiosos, non ita sensisse de gratia, sicut *Pelag.* & *Cælestin.* docuerunt: eam enim necessariam esse, aperte satis fatebantur, vt supra expositum est. Sic *Cassian.* locis alleg. & *Chrysof.* egregie admodum de gratia loquuntur. Sed & *Faus.* lib. 1. de lib. arb. a. c. 1. vsque ad 6. & *prosper* c. 14. eloquentissime gratiæ necessitatem contra *Pelagium* probat: nec solum docet in natura lapsa, sed etiam integra, eam fuisse necessariam, vt primus homo perseveraret, vt videre est li. c. 1. atque id ipsum affirmasse *Massilienses* testatur *Hilarius* in epist. illa citata. Solum ergo asserebant, ex nobis præcedere quoddam initium,

quod diuina gratia subsequitur, & cuius intuitu gratia nobis donatur.

Secundo nota, hoc initium ita ex eorum sententia, ex nobis præcedere: vt tamen nonnulli putarent, necessarium non esse, semper præcedere, sed quandoque etiam adiuuari gratiam priorem esse. Sic plane docet *Cassia.* huius sectæ præcipuus auctor *collat. 13. c. 12. circa finem, & c. 15.* & varijs Scripturæ testimonijs confirmat. Allert enim *Zachæum* prius pulsasse, & postulasse, quam ei gratia daretur, vt pulsaret, & ita sollicitudine sua Christum præuenisse: at *Marth.* & *Paulum* alioque Apostolos præuentos fuisse gratia Dei. Quocirca *collat. illa 13. c. sic incipit: Et ita semper gratia Dei nunguo in bonam partem cooperatur arbitrio, atque illud in omnibus adiutus, protegit, ac defendit, vt nunquam etiam ab eo quosdam conatus bona voluntatis, vel exigat, vel expellet, &c.* Vbi cum dixisset, semper Deum adiuuare, & promouere conatus nostros; non dixit semper, sed aliquando eos expectare, & cap. 17. inquit Deum quorundam esse susceptorem, quia eorum conatus adiuuat, quorundam vero saluatorem, quia eos omnino præuenit. Hanc vero doctrinam erudite & acute impugnat *prosper* li. contra *Collatorem c. 13.* atque ex hac varietate idem *Prosper* eodem lib. c. 33. notauit *Cassianum*, quod sibi contraria docuisset. Nam, si rationes *Massilien.* qui eius sententiam tuebantur, quas disp. 91. c. 17. referemus, aliquid minus sunt probant, arbitrium nostrum semper inchoare, & deinde gratia Dei conatus illius promoueri. Refert etiam *Prosper* in *Epist. illo lib. verba Collatoris collat. 13. c. quib. initia bonæ voluntatis Deo tribuebat, & c. 5.* contra ipsum sic ait: *Et sane te contra Pelagianorum calumnias præcane excusimas, si quod in vniuersitate vocatorum sententiam est, id nobis in portione concedas? sed nec cum hæreticis tibi, nec cum Catholicis plena concordia est. Illi in omnibus iustis hominum operibus liberæ voluntatis ruerunt eorundem; nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia: tu informe nescio quid terrium, & vniuersæ parti inconueniens reperisti, quo neque inimitiorum consensum acquireres, nec in nostrorum intelligentia permaneres.* Hoc dicit *Prosper*, quia *Collator* initia quandoque ex nobis, quandoque ex gratia Dei esse, dicebat. Tertio præmittendum est, inter hos *Massilien.* aliquos fuisse, qui etiam initium boni operis faterentur ex Deo esse, & ex gratia ipsius per Christum, vt refert *August.* lib. 1. de prædest. Sancti. *August.* cap. 1. reuenerunt (de aliquibus *Massilien.* inquit) etiam, vt præueniri voluntates hominum Dei gratia faterentur, atque vt ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perscicendum, sibi quemquam sufficere, sibi conueniant: retenta ergo ista, in qua perueniunt, plurimum eos à Pelagianorum errore discernunt. Proinde si in estimatione aliter sapiunt, ipse illis quoque reuelabit. Ex quibus fortan aliquis putabit, idcirco eos male sentire de prædestinatione, non quod dicerent gratiam ita nobis ab æterno fuisse preparatam, vt labori humano subiungenda esset; quandoquidem dicebant, in tempore etiam illam esse initium boni temporis; sed quia electionem ad gloriam faterentur, ex meritis gratiæ factam fuisse. Nam quid aliud contra veram *August.* sententiam sentire poterunt, si iam fatebantur initium boni operis ex nobis non esse.

Verum hoc nullius momenti est, tamen primo aspectu, qui pauca de hoc errore legerunt, diste facile

facile satis appareat. Obseruandum igitur est, hos quidem adhuc in eodem errore versari, quod indultrix, seu labori humano subiungenda esset gratia, & ideo circa doctrinam de prædestinatione deceptos fuisse, adherentes Deum æterna sua præficientia gratiam preparasse ijs, qui ex se aliquo modo inciperent. De electione vero ad vitam æternam ex meritis gratiæ, nihil eos contra Aug. docuisse, ex toto illo lib. de prædest. Sancto. & seq. manifestum est, ubi nunquam Aug. eorum redarguit sententiam, quod ex meritis gratiæ dicerent, preparatam esse vitam æternam; sed quod ex nobis aliquod initium faterentur, cui gratia esset subiungenda. Errabat ergo, sed minus quam alij, non solum Pelagiani, sed quam illi etiam: qui de reliquis dicebantur, quoniam alij multa, variæque opera, etiam externa ex nobis confitebantur, propter quæ gratia nobis donaretur, vt laborem, vigilias, obseruationes etiam præceptorum; sicut videre est apud Cassia. locis citat. At vero, qui Augustino videbantur melius sentire, hoc solum initium nobis concedebant, velle nimirum sanari. Hanc enim voluntatem inter opera, quorum initium ex gratia Dei esse dicebant, non computabant. De his namque sic refert Hilari. scribens ad Aug. in illa epist. cit. paulo post initium: *Ceterum ad nullum opus, vel incipiendum, nedum perficiendum, quemque sibi sufficere posse, consentiant. Neque enim alicui operi curatiõnis eorum annumerandum putant, exterrita supplicij voluntate vnumquemque egrotum velle sanari. Quod enim dicitur, crede & saluus eris, vnum horum exigit, asserunt, aliud offerri: vt propter id, quod exigitur, si reditum fuerit, id, quod offertur, deinceps tribuatur: vnde non consequens putant exigentiam ab eo fidem, cuius nature id voluntate conditoris concessum est: & nullam ita deprauatam, vel extinctam putant, vt non debeat, vel possit se velle sanari. Hacenus Hilari. Vbi eos putare ait, rem minime consequentem, cum ex eo quod dicatur, *Crede, & saluus eris*, existiment, ab vnoquoque nostrum exigendam esse fidem ex proprijs vitijs, quod inde nulla ratione consequitur.*

Habemus quoque ex Hilario, inter bona opera, quibus homines iustificari asserunt, ex horum sententia non esse computandam neque fidem, neque orationem, neque voluntatem, qua quis sanari desiderat; & huic initio ex nobis subiungunt gratiam, quam etiam ad initia sequentium operum, & non solum ad ea perficienda, necessariam esse affirmabant. Hi profecto comparabant gratiam Dei publico fonti, ex quo, qui vellet, posset aquam haurire; vel Soli, qui omnes illuminat, dum modo ipsi oculos aperiant: vel liberalissimo medico, qui omnes prius volentes curare paratus est, vt inferius ex Epist. Prosperi patebit. Cum reliquis ergo Semipelagianis, in hoc vnum conspirabant, vt ex nobis initium aliquod esset, cuius intuitu Deus gratiam suam conferret, atque idcirco Aug. statim 2. c. illius lib. incipit, contra eos probare, & fidem, & voluntatem salutis, inter dona gratiæ connumerari: vt ita eorum corrigat errorem de prædestinatione, quo dicebant, Deum æterna sua præficientia gratiam nobis preparasse propter fidem, aut propter voluntatem illam salutis.

Quarto est maxime notandum, hos Semipelagianos nunquam dixisse, initium illud ex nobis, cui gratiam subiungebant, esse meritum condigne, vt gratia tanquam condigne debita redde-

retur. Sic enim quis non videret non esse gratiam; sed neque in eo errabant, quod dicerent, gratiam Dei certissime nobis incipientibus esse promissam: nec in aliquo antiquo auctore id notatum inuenientes. Imo vero Cassia. qui fuit huius sectæ auctor in Occidente, & eius acerrimus defensor lib. 12. de inst. Cenobiorum c. 11. & 13. circa finem plane fateatur, nec initium illud, nec vllum opus nostrum condignum esse diuina misericordia, & gratia. Quare cap. 14. ait: *Dicimus enim secundum Saluatoris sententiam dari quidem petentibus, & operari pulsantibus, sed petitionem & inquisitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei, id, quod petimus dederit, & c. præsto est, namque occasione tantummodo a nobis bene voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda.* Idem dixerat c. 11. & collat. 13. c. 13. Neque vsquam reperias, Massilien. assignare initium condignum ex nobis, aut ideo errasse, quod dicerent Deum certissime promississe gratiam offerentibus ex suis vitijs. bonam voluntatem: solum dicebant misericordiam eius præsto esse volentibus.

Fateor quidem, contra eos passim inferre Aug. Prosperum, & Fulgentium, gratiam non fore gratiam, si alicui minimo merito & initio ex nobis donaretur, quia iam redderetur debita, quod putant absurdum. Verum ipsi non damnant debitum naturæ ex promissione: hoc enim non tollit rationem gratiæ: si enim gratuita fuit promissio, erit etiam donatio: sed inferunt, non fore gratiam, quia retribueretur potius initio, & merito nostro: quod recte sequitur, etiam si initium, & meritum nostrum non esset condignum, vt disp. 91. ca. 15. probabitur. Non est ergo contra rationem gratiæ, quod detur promissa, & ratione promissionis negari non possit, sed quod detur ob aliquod meritum, etiam minimum, vt ibidem ostendimus: sic enim retribuitur: illo autem modo, si nullum meritum præcessisset, non retribueretur.

Idcirco autem Massilienses non dubitarunt appellare gratis vocatos, quos Deus gratia sua vocat, etiam si illi sua industria initium prebeant: quia si initio non fuit condignitas, videbatur illis non euacuari rationem gratiæ. Porro autem gratis vocatos eos appellasse, colligitur ex Prosperi in illa epist. cum eorum verba refert quæ infra recitabimus. Idem clarissime dixit Cassianus collatione 12. cap. 13. his verbis: *Deum eam, scilicet gratiam, sub colore cuiusdam desiderij ac laboris impartitur, scilicet Deus, & nihilominus gratia Dei gratuita persuevat, dum exiguus quibusdam paruisque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inestimabilis tribuit largitate. vbi gratiam appellat, etiam si detur occasione nostri laboris: quia labor minimus est, & non condignus. An vero hic error quid commune habeat cum sententia quorundam Scholasticorum, qui ad nostra vsque tempora asserunt, facienti quod in se est, Deum dare gratiam suam, & an Græci Patres aliqua ratione excusari possint, & qua ratione hic error damnatus sit, disputat. 91. c. 9. 10. & 11. dicemus. Nunc ista sufficiant, vt mentem Augustini in hac quaest. intelligamus.*

Vltimo obseruandum est, nomine gratiæ hos Massilien. non intelligere remissionem peccatorum, & gratiam habitualem, qua formaliter iustificatur, sed auxilia omnia gratiæ, quibus ad iustificationem promouemur, & disponimur, Neque enim

Quilam ex
Semipelagianis
non voluissent
ex nobis car-
nam ad insti-
tutionem
prouent,
illariet.
31

32

33

34

Auguſt.
Proſper.
Fulgentiuſ.
33

Maſſilieſ.
Proſper.
Caietanuſ.
Maſſil.
34

enim ipsi putant, solo nostro arbitrio nos posse vltimam dispositionem habere, vt peccata nobis remittantur, sed solum aliquam, propter quam auxilia gratiæ ad maiorem dispositionem iustificatiõnis nobis donentur; vt explicabimus disp. illa 91. c. 8. 9. 10. & 11. neque vero Massilien. tam insipienter docebant, vt asserent, orationem, fidem, aut voluntatem salutis, aut voluntatem credendi, aut similia opera, quæ dicebant esse initia solum iustificatiõnis, esse vltimam dispositionem ad gratiam habitualem, aut ad remissionem peccatorum. Sed, vt ex ipsis constat, quæ hæcenus allegauimus, solum minima gratiæ promoueret vsque ad iustificatiõnem: & in hoc sensu ipsos Aug. & eius discipuli confutare conantur, & rationes, quas Aug. & alij contra Massilien. conficiunt, probant, nec minimum initium ex nobis, etiam remotum esse posse, vt disputatio. 91. c. 14. & 15. videbimus.

Necessarium autem eis videbatur, hoc initium, quod ex nobis præcedere dicebant, vocare aliquale meritum: quoniam per illud alia dona à Deo impetrari existimabat: id enim quod à Deo aliquid impetrat, meritum impetratorium debet appellari, quod nunc Scholastici congruum vocant. Nam quod aliqui asserunt, non posse dici meritum congruum, nec impetratorium, quod est in peccatore, contra doctrinam Aug. est epist. 105. vbi, vt contra Pelagium probat, concedendam esse aliquam gratiam sine meritis, dicit, hanc non posse esse gratiam remissionis peccatorum: reddit rationem his verbis; Neque remissio peccatorum sine aliquo merito est. si fides hanc impetrat, neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori. Concedit ergo Aug. aliquid meritum in peccatore, sed ex auxilio Dei.

Ex quibus omnibus non solum constat manifestum discrimen inter Pelagianos, & Semipelagianos, sed etiam, quid Aug. contendat, cum de prædestinatione contra utrosque disputat, & docet, electionem factam non fuisse ex præscientia aliquorum meritorum. Nunquam enim cum eis disputat, an electio ad gloriam sit facta ex meritis gratiæ præuisis, sed, an gratia ex aliquo bono initio, aut merito præuiso liberi arbitrij, fuerit præparata. Cum enim dicerent, in tempore gratiam ex meritis dari, aut obedientiæ subiungendam esse, atque idem necessario sequeretur dicendum in æterna electione, scilicet eorum omnium Deum rationem habuisse, quorum intuitu in tempore gratiam erat daturus; ideo probat Aug. electionem æternam, ita gratis factam esse, vt nullum initium ex nobis Deus respexerit: electionem inquam, de qua erat controuersia cum Pelagianis, & Semipelagianis, nempe gratiæ; quod hanc labori humano in tempore subiungeret; & ita quoque in æternitate ob laborem humanum factam esse dicere cogentur. Vna enim, atque eadem inter Augustinum, & Pelagianos, seu Semipelagianos fuit de gratia, & de prædestinatione controuersia: neque alium errorem de prædestinatione, quam de gratia illi docuerunt.

Hæc de causa Petrus Diacon. cuius verba præced. c. retulimus; dixit, doctrinam Faustii contra prædestinationis sententiam quam Patres docuerunt (intelligit Augustinum, eiusque discipulos) &

contra Apostolum scriptam fuisse. Reddit rationem statim, quia labori, & obedientiæ humanæ gratiam subiungebat. Contra vero, cum de gloria, nec minima inter Semipelagianos, & Augustinum fuerit dissensio: omnes enim fatebantur, eam in tempore ex gratiæ meritis dari, & labori ex gratia subiungendam esse; tam ipsi, quam August. consequenter dicere debebant electionem ad gloriam intuitu meritorum factam fuisse; eo quod in tempore ratione illorum conferenda erat. Nam, vt infra dicemus, si semel Augustinus Semipelagianis concessisset, gratiam in tempore ob aliquem nostrum laborem, seu bonam voluntatem conferri, nusquam negasset, in æterna quoque electione ita fuisse definitam, vt ex labore daretur, sicut quondam ipse sensit, vt cap. 9. referemus. Nam cum asseruit gratiam dari ex meritis fidei, quia fidem putauit non esse donum Dei, etiam dixit, in æterna electione Deum ex fide gratiam præparasse: imo fidem ipsam elegisse.

Ceterum verbis Aug. male perspectis, comminiscuntur quidam duo genera Semipelagianorum, contra quos ille disputauit. Primum dicunt fuisse eorum, qui quamuis contra Pelagium multa docerent, assererent tamen homines ex meritis gratiæ electos ad gloriam. Alterum vero eorum, qui solum gratiam creationis concedebant cum Pelagio, quos multo peiores fuisse asserunt. Priorum dicunt mentionem fecisse Prosperum, in illa epistola non longe à principio his verbis: *Hæc enim ipsorum definitio est, neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione saluari. Vniuersi tamen hominibus propitiationem, qua est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, vt quicumque ad fidem, & ad baptismum accedere voluerint, salui esse possint. Qui autem credituri sum, quæ in ea fide, qua demerito per Dei gratiam sit iuuanda, mansuri sum. præcisisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos futura electione, & de hæc vita bono sine excessibus esse præuidit.* Quibus verbis non videtur signate Prosper, quis alius eorum fuerit error, nisi quod dicerent, eos electos fuisse ad regnum cælorum, quos gratis vocatos Deus cognouit futuros dignos hac electione. Sic putant, qui leuiter hæc verba considerant, nec integram epistolam legerunt. De gratia vero eos non male sensisse, inde colligunt, quod gratis vocatos appellant, qui gratia Dei perseverantes, digni efficiuntur regno cælorum.

Verum quis credat sententiam Massiliensium eam fuisse, quam plane docuerat ipse Aug. lib. 1. ad simplicianum. q. 2. vt seq. c. videbimus: quando Massiliensium doctrinam, quam Prosper recitauit in illa epist. ipse Aug. ex professo confutat in lib. de prædest. Sanct. & de bono perseuer. Eam vero, quam ipse fuerat secutus in illa quæst. non solum non retractat, verum etiam tam recte pro gratia eo loco se laborasse affirmat, vt hos Massilienses ad eam quæstionem remittat lib. 1. de prædest. Sanct. c. 4. quo in illa videntur, & discedunt, vnde in controuersia de gratia, quam cum ipso tunc habebant, recte sententent. De electione autem ad vitam æternam ex meritis gratiæ præuisis, nihil August. habet contra Massilienses in illo 1. lib. de prædest. Sanct. & sequentibus, quibus ex professo contra eos scribit: eandem quoque quæst. ad Simplicianum pro gratia Dei contra hæreses commendat Aug. alijs in locis, vt c. 7. huius disp. videbimus.

Porro si parum attendere velimus, facile iniuriam in verbis Prosperi, eod Massilienses errasse, quod dicerent, initia ex nobis esse, & gratiam ex illis non dari. In primis enim verbis hic error aperte continetur, cum dicunt salutem esse omnibus propositam, vt qui accedere velit, saluus sit: ponebant enim voluntatem salutis ex nobis, vt supra ostendimus. Deinde idem error est in eo, quod addunt, eos, qui credituri erant (nempe ex se, vel in fide per Dei gratiam iuuanda mansuri, hoc est, in fide per Dei gratiam promouenda, quæ ex propriis viribus incepisset) hæc enim erat eorum communis sententia, Deum adiungere conatus nostros, & fidem, id est, inceptos à nobis sua gratia prosequi eos, inquam, gratia Dei promouendos ad iustificationem: id quod ex professo refutat Augustinus libris citatis quibus ad Prospertum, & Hilarium responderet. Id autem, quod sequentibus verbis dicunt, nempe eos, qui hac gratia Dei perseueraturi præuidebantur, electos fuisse ad regnum cælorum, nusquam improbat. Parum autem refert, Massilienses appellasse gratis vocatos eos, qui eligebantur ad regnum, vt proinde dicamus, initium gratiæ ex nobis negasse. Quamquam enim asseriebant, præcedere ex nobis initium gratiæ, nihilominus, vt paulo ante vidimus, dicebant gratiam Dei gratis omnino dari; & ideo eos gratis vocatos appellauerunt.

Putant deinde prædicti Theologi aliorum Semipelagianorum meminisse Prosperum illis verbis: *Quidam vero horum in tantum à Pelagiano semiti non declinant, vt cum ad consistendam eam C. II. 1. st. 1. gratiam, qua omnia præuenit merita humana, coguntur, ne si meritis rediatur, frustra gratia nominetur: ad conditionem hanc velint vnusquisque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia neque existens, liberi arbitrij, & rationalis, gratia creatoris instituit, vt per discretionem boni & mali & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius, possint suam dirigere voluntatem.* Ex quibus colligunt, hos cum Pelagio omnino sensisse, quod gratiam solam creationis concederent. Sed falluntur; nam ex verbis, quæ continuo addit Prospero mani feste liquet, eos etiam gratiam Christi, præter hanc gratiam creationis concessisse, vt iustificarentur homines, & ad gloriam perueniant. Subiungit enim de illis; *Atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, peruenire, per naturalem scilicet facultatem, petendo, querendo pulsando, & ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat, quia bono naturæ tenet vsus ad istam salutem gratiam initialis gratiæ ope meruerit peruenire.* Admittebant ergo gratiam Christi ad iustificationem necessaria super donum creationis, contra Pelagium, sed in eo peiores aliis Semipelagianis videbantur, quod, vt assignarent aliquam gratiam absque vllis meritis, ad donum creationis, cum Pelagio confugebant, & hanc initialem, & rationalem appellabant, vt ex verbis relictis manifestum est.

Denique de omnibus Semipelagianis colligit Prosper sine Epist. in hæc verba: *Pene omnium par inuenitur, & vna sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, vt et hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vnusquisque præuiderit.* Ideo autem addidit particulam, *pene*, quæ temperat vniuersaliquez in part. Tomus I.

salem illam locutionem, quia licet reuera omnes docherint, initium esse ex nobis; quidam tamen plus, alij minus tribuebant arbitrio; vt supra vidimus. Ideoque plus, minusve circa initium nostrum variantes, omnes in vnam sententiam conspirauerunt, vt initium esse ex nobis. Nam cum dicit, *Propositum secundum præscientiam receperunt*, intelligit ex eorum sententia iustificationem factam fuisse ex præscientia boni vsus arbitrij: propositum enim in Augustino, vt ex lib. 1. Simplifician. quæst. 2. constat, est iustificationis. Cum vero illi prædestinationem etiam ex præscientia fatebantur, prædestinationis nomine gratiæ præparationem, vt definit August. lib. 1. de prædest. c. 1. non voluntatem glorificandi intelligebant, præscientiam autem non meritorum gratiæ vitam æternam, sed boni vsus arbitrij, vt sæpius inculcauerat Prosper.

De reliquo vero, quod alij facti essent vas in honorem, alij vas contumeliæ ex fine prouiso, si intelligebant de fine totius vitæ, vt cum gratia Dei, in regno cælorum essent vasa honoris, ex proprio autem peccato in æterno supplicio vasa contumeliæ, non errabant. Nam quamuis vas in honorem fieri aliquis dicatur gratia Dei, quæ ipsum præuenit, ipse tamen etiam dicitur hac gratia adiutus, eique consensum præbens se facere vas in honorem. Sic loquitur Paulus 2. ad Timotheæ. 2. *Si quis ergo se emundauerit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vile.* Sicut ergo quisque gratiæ consentiens, & ea adiutus dicitur se emundare, & sanctificare 1. Ioann. 1. *Omnis qui habent hanc spem in eo sanctificat se.* sic etiam dicitur se facere vas sanctificatum, & emundatum in honorem: nisi quod, vt tale vas fiat, gratuita Dei voluntas, & gratia illum præuenit, qua emundetur, & sanctificetur, vt sit vas honoris. Atque idcirco ad Rom. 9. dicit Paul. potuisse Deum libere facere ex eadem materia Adami aliud vas in honorem, videlicet præueniendo gratia sua congrua hominem vt sanctificaretur, & aliud in contumeliam nempe permitiendo, vt ipse homo se inquinaret peccatis, vnde in contumeliam & supplicium deputaretur: & saltem de vase contumeliæ, dubium non est, vnumquemque fieri merito sui peccati. Nam in prima permissione donec consentiat peccato, non dicitur vas contumeliæ. In posteriori ergo parte sententiæ, recte sentiebant Semipelagiani, nec in eo vnquam ab August. notati fuerunt.

CAPVT VI.

Electionem ad gloriam ex meritis gratiæ præuisis factum putat August.

Videbitur fortassis alicui, plus iusto non hæc genus digressos fuisse. Verum cum inter Scholasticos hæc nondum satis trita, & peruulgata sint, atque eorum ignorantia in suam quisque opinionem August. pertrahere non dubitet, & de diuina electione, deq; gratiæ prædestinatione, multa quoad quæstiones suboriantur; necesse fuit, hæc ita minutatim, & sigillatim explicare; vt antiquos Ecclesiæ Patres intelligere, & viam tutiorem inuenire facilius possemus. Ceterum electionem ad vitam æternam, ex præuisione meriti-

Yy totitum

torum gratiæ, testimoniis Augustini, sicut promissimus, confirmemus.

Duplex electio in Augustino.

Verum antequam ea proferamus, præmittendum est, tamen electio (vt in expositione articuli, ex doctrina S. Tho. dicebamus) sit amor vnus præ alio; duplicem tamen in Augustino inueniri: alteram præmissio examine eligendorum, & reijciendorum: & hæc est secundum iustitiam, vt ille scilicet præferatur, qui dignior est, ille autem reijciatur, qui minus dignus inuenitur: alteram vero nullo examine præmissio, & hæc est gratiæ: est tamen vnus præ alio; id enim intrinsecum & proprium est omni electioni prout electio est: fieri autem præmissio examine, accidentarium. Potest enim aliquis alium gratis omnino eligere è multis, vt dona sua ei potius, quam alijs conferat. Potest etiam vnum præ alijs quod dignior ei videatur, eligere ad præmium, & coronam. Tam vero in Aug. vtramque electionem, ad diuersos tamen fines manifeste ostendo, simulque prædictam opinionem ex ipso demonstro.

Primum igitur in lib. 1. ad Simplician. q. 2. ante medium, illum locum ad Rom. 9. Cum non dum nati fuissent, sic interpretatur. Cum duo illi fratres Iacob, & Esau nondum nati fuissent, nec ex se ali-

43. Primum Augustini testimonium.

quid boni egisset, propter quod vnus præ alio examine præmissio ex suis bonis operibus ad iustificationem eligeretur, vt ita iustificationis propositum esset ex operibus, cum inquam nõ ita esset, non ex operibus arbitrij, sed ex gratia factum est, vt minor præferretur maiori, intelligit in gratia iustificationis. Concludit autem in hæc verba: Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex propositio electio, id est, non quia inuenit Deus bona opera in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis: sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum celorum: nam si non esset electio, non essent electi: nec recte diceretur, Quis accusabit aduersus electos Dei? non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificationis: Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo, qui reijciatur: vnde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hic autem quod ait, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, &c. non electione meritorum, quæ post iustificationem gratiæ proueniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur. Hæc Aug.

44. Circa ea vero duo notanda sunt; vnus est, quamuis illud testimonium. Quis accusabit aduersus electos Dei? explicari possit de electis ad gratiam sine examine operum; & illud præsertim. Elegit nos in ipso, &c. De hac electione necessario intelligendum sit; sicut ipse Aug. lib. 1. de predest. Sancti. cap. 19. interpretatur, additur enim, Vt essemus sancti, quod ad electionem gloriæ factam ex meritis referri nequit: id tamen nihil obstat, quo minus hoc testimonio doctrina Augustini, prædicta opinio comprobetur: nunc enim non Scripturæ, sed Aug. auctoritate agimus. Alterum obseruandum est, hic non loqui Aug. de electione, quam vnus in tempore facturus est, quæ sicut ex sagena bonos eligeret in vasa, & malos foras mitteret, sed de æterna Dei electione, quæ secundum præscientiam meritorum ab æterno facta est. Sic enim ipse plane testatur cum dicit, Non video, quomodo sit dictum, nisi præscientia meritorum: & ad hæc ipse applicare cogatur testimonium illud ad Ephes. 1. Tum etiam, eum

Ad Rom. 9.

Ad Ephes. 1. Exponitur testimonium Augustini.

loquatur de electione, & electis, de quibus recte dicitur. Quis accusabit aduersus electos Dei: quod non potest intelligi de electis, postquam in die iudicij electi fuerint: plane intelligendum est de electis æterna electione. Cum ergo asserat, ex propositio, scilicet iustificandi (hoc enim fuisse electionem, & ideo homines à Deo electos ad vitam æternam, quia Deus post iustificationem inuenit opera bona in hominibus, quæ eligeret ad gloriam, & cum dicat Paulum in illo ad Roman. 9. Non ex operibus, non loqui de electione meritorum, quæ fit post iustificationem; & denique neminem eligi, nisi distans inueniatur ab alijs; peripicue satis ostendit hunc ordinem prioris, & posterioris in æterna Dei præscientia posuisse, vt ex hoc loco notauimus supra disputatione 82. cap. 3. & electionem ad regnum celorum factam fuisse examine meritorum præmissio secundum rationem. Quid vero Paulus sentiat ad Ephes. 1. cum dicit, Elegit nos in ipso, &c. cap. 12. dicemus.

Deinde circa finem eiusdem quæstio. 2. ad Simplician. agens semper de electione, quæ fit inter aliquos præmissio examine, quo genere electionis nonnulli contendebant homines ad Dei gratiam eligi, inquit: Quod si electio hic fuit aliqua vt sic intelligamus, quod dictum est (Reliquia per electionem gratiæ salua facta sunt) non iustificationis propositum ad vitam æternam, sed vt eligantur, qui iustificentur: certe ita occulta est hæc electio, vt in eadem confessione nobis profus apparere non possit, aut si apparat quibusdam, ego in hac infirmitate meam fatcor. Non enim habeo, quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius electionis aliqua cogitatione præmitto, nisi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel vtrumque; addamus etiam si placet, honestas, &c. Cum ergo neget se vllam inuenire posse electionem ad gratiam, si præmittatur examen; quia non potest vnus ab alio magis distare ante gratiam, quæ quia habet maius ingenium, vel minora peccata, vel honestas discipulas, ex quibus eligi aliquem ad gratiam, iure optimo putat absurdum: non negat electionem iustificationis ad vitam æternam: hanc enim supra asseruerat; & ibidem eam excipit, cum ait: Non iustificationis electio fiat ad vitam æternam. Concludit ergo paulo post dicens: Restat ergo, vt voluntates eligantur: sed voluntas ipsa, nisi aliquid occurrat, quod delectet, atque inueter animam, moueri nullo modo potest. Hoc autem vt occurrat, non est in hominis potestate. Vbi cum dicat August. sicut Hieronymus, quem c. 3. citari electas à Deo hominum voluntates, hoc est, in electione habitam fuisse rationem merito: non intelligit de electione, quæ quis ad gratiam eligitur: hanc enim præmissio examine iustificationis proxime negauerat, sed de electione iustificationis ad vitam æternam, quam tota illa quæstio iterum, atque iterum docuerat: & vt ostenderet nullum examen fuisse præmissio, vt homines ad gratiam eligerentur, dixit has voluntates, quæ eliguntur ad vitam æternam, esse nõ posse, nisi prius cogitatione occurrat aliquid, quod delectet. Sententiam autem id gratis omnino concedi, cum dicat gratia contra Pelagianos disputans, electionem ad gloriam ex meritis aperire fatetur.

Porro August. lib. 1. expositionis quorundam propositio.

tionem epist. ad Rom. cap. 6. ideo dixit non posse esse electionem inter aequales, quia putauit gratiam conferri ex meritis arbitrij; id quod retractauit lib. 1. c. 2. & lib. de predest. sanct. cap. 4. Postea autem passim concedit electionem gratis omnino factam ex eadem massa, & conspersione inter aequales perditos; hanc tamen asserit fuisse ad gratiam non ad gloriam. In hac vero quaest. eam solum electionem videtur admittere, quae fit praemisso examine, nam aliam inter aequales adhuc non videbatur agnoscere. Nihilominus de gratia rectissime sentit, cum asserit, ad gratiam nullam talem electionem esse, quam tamen ad gloriam esse concedit, & ita contingit id, in quo antea de gratia electione loquens errauerat. Id vero, quod de electione ad gloriam docet, nullibi retractat, ut statim dicemus. Videri tamen potest alicui, in ea quaest. etiam cognouisse aliam electionem ad gratiam, sine meritis, & examine; cum circa medium illius, eos appellat electos, qui congruenter vocati sunt. Verum non satis explicat, an dicat electos, quia ad ipsam vocationem sine examine electi essent, aut quia vocatione dispositi, postea merita habuerunt, ex quibus vitam aeternam consequerentur, & ad eam praemisso examine eligerentur.

Deinde serm. 7. de verb. Domini secundum Matthaeum tom. 7. 0. vbi iam admittit duplex illud genus electionis, & sine examine, & cum illo sic ait: *Elegit autem Deus, sicut inquit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum iustitiam dicit secundum suam gratiam, quia Deus eos elegit gratis sine examine, ut eis daret dona gratiae, quae aliis negauit, ea solum ratione, quia placuit. Sed quid est, secundum illorum iustitiam, nisi quia elegit eorum bona opera, quae gratia sua in illis praeparauerat: elegit, inquam, ad vitam aeternam, vbi iam necessario examen praecedit, quo in electione ad gratiam esse non potuit. Hanc autem fuisse mentem August. neque quidquam illum contra gratiae dignitatem docuisse, patet ex sequentibus: explicans enim illud. *Reliquis secundum electionem gratia salua facta sunt*, sic loquitur: *Ergo illo elegi quia vult mentes eorum de me praesumentes, non de se nec de Baal. Non sunt mutati: sic sum, ut ad me facti sunt: & tu, qui loqueris nisi de me praesumeres, vbi esse? vbi licet concedat electionem operum ad vitam aeternam, aut ad maiorem gratiam, nihil autem contra dignitatem gratiae asserit, sed ei tribuit opera, quae dicit secundum iustitiam eligi a Deo, cum ait, *Sic sunt ad me facti: & in eiusdem gratiae commendationem statim subiungit: Casus Christiane, causa superbia licet enim imitator Sanctorum sit, totum gratiae semper reputa: quia ut esset aliquid reliquum, gratia in te Dei, non tuum meritum fecit. Reliquum appellat bona opera, quae eligerentur, ut dicerentur reliquiae per electionem saluae facta fuisse. Quamuis autem locus ille ad Rom. aliter possit exponi, de electione scilicet gratiae, quae praesentit omne examen, & fit ad ipsam gratiam, non ad gloriam: atque hic videatur germanus sensus Pauli, quem sequitur Augustin. lib. 1. de predestinatione Sanct. cap. 1. 16. doctrina tamen quam tradit ipse in eo sermone, nihil contra gratiae dignitatem habet, neque vbi ab eo retractata minima ex parte inuenitur. Nunc autem ex eius auctoritate solum agere decreuimus. Mitto testimonium Aug. lib. de predest. Dei. 2. c. 3. quod infra cap. 8. referemus.***

Denique Prosper, & ipse per omnia Augusti-
Vasquez in part. Tomus I.

nianns, atque acerrimus gratiae propugnator l. 2. de vocatione Gen. c. 25. non minus perspicue vtramque electionem adstruit his verbis: *Deus ergo iis, quos elegit sine meritis, dat unde ornentur & meritis. Ecce priorem electionem ad gratiam sine examine. Et frustra dicitur, quod ratio operandi, id est, studium, & sollicitudo operandi, non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur ut electi sint. Cum igitur dicat electos ad gratiam sine meritis ornari, meritis ad hoc, ut eligantur, concedit ingenue posteriorem electionem praemisso examine meritorum, non ad aliud, quam ad gloriam, & ad gratiae augmentum; nam priorem, quam dixit fuisse sine meritis, intelligit solum ad gratiam, ut inde ornarentur meritis. Negat autem fuisse, ex meritis, quia nulla alia esse potuerunt, quam arbitrij, ex quibus fieri non potuit.*

CAPVT VII.

Exploduntur oppositiones, quibus recentiores hac Augustini testimonia infirmare nituntur.

Non desunt recentioribus machinationes, quibus tam aperta testimonia euertere moliantur: primo autem plane fatentur electionem ad gloriam ex meritis, illis locis traditam esse, sed oppositum alibi Aug. postea docuisse: praesertim lib. de Concept. & grat. cap. 7. vbi concedit electionem ad regnandum cum Christo omnino gratis, & sine meritis factam. Verum seque c. non obsecure monstrabimus nusquam Aug. neque in eo cap. 7. oppositum, vel leuiter insinuasae.

Secundo alij in Aug. non parum docti pronunciant, librum illum ad Simplicianum in iuniori aetate ab ipso conscriptum fuisse, tamen etiam Episcopus esset, & ideo de gratia Dei parum curasse, nec dubitasse concedere electionem aliquam ex meritis, licet non arbitrij, saltem gratiae, at cum postea in maiori aetate cum Massiliensibus disputandum illi fuit, & pro gratia acrius dimicandum, ita vt nec minima ratio meriti ad electionem concederetur, negasse dicunt electionem aliquam, etiam ex meritis gratiae sicut in libris de praedestinat. Sanct. De corrept. & grat. & aliis. Ego sane fateor librum illum in prima aetate post Episcopatum ab August. editum, ut ipse testatur 2. retract. c. 1. Concedo etiam nunquam in eo libro agnouisse aliquam electionem, nisi examine praemisso, vt c. praeced. notauit. Ceterum cum illius libri meminerit 2. retract. cap. 1. nihil quod in eo docuerat, retractat: imo doctrinam de gratia ibi traditam mirifice probat, & praedictam quaestione tantum facit disputas contra Massilienses lib. 1. de predest. Sanct. cap. 4. vt ipsos ad eam remittat, si veram de gratia sententiam intelligere velint. Quod si aliquid suspectum, aut minus recte dictum ibi tradidisset, quod Massiliensium sententiae faueret, cum dixit electionem ad gloriam ex meritis factam fuisse: aut illud interpretaretur in bonum sensum, aut plane retractaret, neque vilo modo pro Catholica doctrina Massiliensibus eam allegaret quaestione.

Capite ergo illo 4. in principio, retractas quod Presbyter dixerat, gratiam nimirum dari ex meritis fidei, quae essent ex propriis viribus, & ita homines elegit ad gratiam ex meritis fidei praemissis a Deo, sic ait: *Videris, quid tunc de fide, & operibus sentiebam, quamuis de commendanda, Dei gratia laborem.*

Testimonium Prosp. pro eadem sententia.

49.

Libros ad Simplicianum quidam recipiunt.

50.

Libri ad Simplicianum à calumnia vindicantur.



vārem, in qua sententia istos fratres nostros esse nūc
video; quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis cu-
rauerunt proficere mecum. Nam si curassent, inuenissent
istam questionem secundum veritatem diuinarum Scrip-
turarum solutam in i. lib. duorum, quos ad beata memoria
Simplicianum scripsit. Et lib. 2. retract. c. 1. de ea qua-
stione inquit: In cuius questionis solutione elaboratum
est pro libero arbitrio voluntatis humana: sed vicit Dei gra-
tia. Probat ergo contra Massilienses quicquid de
gratia dixit in ea quaestione; imo eorū errorē in ea
satis confutatū existimat: quod si aliquid, vel mini-
mā suspicionis esset, quod ipsis fauere videretur,
vel illud retractaret, vel ad eam quaestionem eos
non remitteret. Eandem quoque quaestionem ad
Simplicianum, & doctrinam illius commendat
idem Aug. lib. de bono perseverantiae c. 20. vbi respon-
dens Hilario Arelatensi, miratur, quod Massilien-
ses dicerent, sine doctrina prædestinationis, quam
ipse Augustinus contra eos cepit prædicare, do-
cens nullum initium gratiæ ex nobis præcedere,
multo tempore Ecclesiam Dei Catholicam senten-
tiam de prædestinatione defendisse: & inquit,
Multum miror eos dicere, nec attendere, vt de aliis hic ta-
team. ipsos libros nostros & antequam Pelagiani apparerē
cepissent conscriptos, & editos, & videre, quam multis co-
rum locis futuram nescentes Pelagianam heresim cadeba-
mus. predicando gratiam, qua nos Deus liberat à malis er-
roribus, & moribus nostris, non præcedentibus bonis meritis
nostris, faciens hoc secundum gratuitam misericordiam
suam quod plenius sapere cepi in ea disputatione, quam
scripsi ad beata memoria Simplicianum Episcopum Medio-
lanensium Ecclesie, in mei Episcopatus exordio, quando &
initium fidei donum esse cognoui, & asserti. Et cap. 21.
21. eiusdem libri de ea quaestione ita scribit, Vi-
deant tamen ij (scilicet Massilienses) vtrum in primi
libri posterioribus partibus eorum duorum, quos mei Epi-
scopatus initio, antequam Pelagiana heresis appareret, ad
Simplicianum Mediolanensem Episcopum scripsi, reman-
ferit aliquid, quod vocetur in dubium, gratiam Dei secun-
dum meritum postea dari: & vtrum ibi non satis egerim, et-
iam initium fidei esse donum Dei: & vtrum ex iis, quæ ibi
dicta sunt, non consequenter eluceat, est non sit expres-
sum, etiam vsque in finem perseverantiam non nisi ab eo
donari, qui nos prædestinavit in suum regnum, & gloriam.
Censet igitur August. ita exacte de gratia Dei in ea
quaest. sicut in reliquis postea operibus post ex-
ortam heresim Pelagij, se disputasse. Taceant igitur
prædicti Theologi, & doctrinæ August. in ea
quaestione humiliter acquiescant, si doctrina eius-
dem de gratia, & prædestinatione ipsis probatur.
Tertio dicunt alij Augustinum. Qui non de
ordine intentionis, sed de ordine executionis,
non quem in tempore exequendo servat examine
præmissio meritum (loquitur enim de ipsa elec-
tione in præsentia, vt ex verbis præced. cap. reci-
tatis patet) sed de ordine executionis, quem Deus
in mente sua, & æterna præsentia servat. In-
quiunt enim, in præsentia Dei duplicem ordi-
nem esse, vnum intentionis, alterum executionis:
sicut in quolibet artifice, dum opus aggreditur,
vel de illo consultat. Prior ordo à fine ad media
procedit, ex eo namque quod quis vult ædificare
domum, primum decernit domum construere,
deinde de variis mediis consultat. At vbi iam me-
dia inuenit, considerat alterum ordinem execu-
tionis, in quo nimirum, talibus mediis præ-
stitis, vltimo decernit domum fabricari. Sic ergo Deus
primum decreuit hominem beare, nondum me-

ritis præstitis, deinde dare merita, vt media ad
hanc beatitudinem: & sic completus fuit ordo in-
tentionis. Sed ordine executionis per media gra-
tiæ, & merita præstita, iterum decreuit ipsam per-
ducere ad beatitudinem. Vidit enim hominem
hac, & hac gratia præuentum bene operaturum,
& dignum futurum, vt beateretur. Ideo præstitit
per illa media, & ex illis præstitis tale præmium
retribuere. De hoc ordine posteriori dicunt lo-
quuntur fuisse Aug. non de priori. Cum quo bene
constat, vt Deus primū omnī ante merita præsti-
ta, ordine intentionis, decreuerit dare vitā æternā.

Sed certe si hic modus philosophandi in Au-
gust. fundamentum haberet, liberet eum ample-
cterer, nec mihi curæ esset, si alias philosophiæ A-
rist. aut Theologorum nostrorum opponeretur,
& licet non videretur probabilis, tamen, vt men-
tem August. interpretaremur, sufficeret. Ceterum
existimo, neque Augustini, neque Scholasticorum
doctrinæ consentaneum esse imo communi
sensui Philosophorum omnino aduersari, ac pro-
inde effugium hoc nullius esse momenti.

Et primo quidem in August. nullum funda-
mentum habet, quod ipse nusquam alium ordi-
nem intentionis posuerit, in quo homines elige-
rētur ad vitam æternā ante merita præstita. Quare
cum ipse, ubicumque loquitur de hac voluntate
conferendi gloriam, asserat ex operibus, & meritis
gratiæ, gloriam fuisse præstitam, distinctio hæc
doctrinæ Aug. consona non erit, sed tantum ad
eludendum excogitata. Nullibi autem dixisse Au-
gustinum intentionem hanc conferendi gloriam
fuisse ante merita, cap. seq. patebit: locis vero
proxime citatis, vbi de electione ad gloriam ser-
monem habet, aperte testatur ex meritis factam
fuisse. Vnde ergo suspicari possumus, duplicem
illum ordinem ab Aug. fuisse assignatum?

Secundo axioma Philosophis, & Theologis fa-
miliare, & verissimum, quo duplex ordo assi-
gnatur, alter intentionis, alter executionis, non
constituit vtrumque in mente artificis, aut operan-
tis, sed alterum in mente, & consultatione illius,
alterum vero in re ipsa, & vterque est notissimus.
Est autem axioma: non solum alterū esse ordinem
intentionis, alterū executionis, sed prorsus oppo-
sitos esse: vt prius in intentione, & consultatione
fit posterius in executione, & generatione, & con-
tra prius executione, & generatione fit posterius
in intentione. Vt cum cupimus sanari, prius volu-
mus sanitatem, quam executione ipsa posterius
consequimur. Præterea consultatio de mediis ad
sanitatem prius versatur circa medium magis pro-
pinquum: vt cum agitur de sanitate, consultatio
est, an expediat medicamento purgare naturam,
vel scissione mittere sanguinem, deinde si mit-
tendus est sanguis, quisnam vocandus sit phi-
botomix peritus; demum quis illum querere, &
accersere debeat. Contra vero cum exequimur,
incipimus ab illo, qui vocaturus est chirurgum, vt
scindat venam, postea ille scindit venam, nemum
sequitur sanitas. Ratio vero est, quia consultatio
post intentionem finis querit, quæ ad finem vtili-
ta sunt, quatenus vtilia: & cum quædam vtilia sunt
ad finem se ipsi, quædam vero per alia; quo remo-
tius aliquid vtile est, posterius in consultationem
venit. Contra vero quia executio ordinem seruat
causarum efficientium, & illa est prior: quæ remo-
tior (nam remotior mouet magis propinqua) ad re-

Explicatur
verba Aug.
de ordine
executionis.

§2.

à remotioribus incipit. Id quod expressit *Aristo* 3. *Ethic* e. 8. his verbis. *Idque, quod ultimum est in resolutione, primum esse constat in generatione.* ordinem resolutionis appellat ordinem consultationis, & intentionis: ordinem vero generationis vocat, quæ nos communiter dicimus ordinem executionis, ut videbimus 1. 2. q. 14. art. 5. de hoc vtroque ordine eo modo quem diximus loquitur *S. Tho.* 1. 2. q. 1. a. 4. At in consultatione & intentione, aut decreto voluntatis, duplicem ordinem oppositum assignari posse, alterum executionis, alterum intentionis, ut prius in vno, fit in altero posterius, quis vnquam philosophus, aut Theologus docuit? Excipio recentiores Theologos professores, qui ut ab *Ijs*, aut alijs argumentis suam tueantur sententiam, hos duos ordines excogitarunt, quod sane, vel hac sola ratione suspicione non caret, nunquam enim alibi de his mentionem apud probatos, vel Philosophos, vel Scholasticos factam reperies.

Tertio fere nunquam repetimus id, quod semel ordine intentionis disposuimus, si bene memoria teneamus, cum mente nostra de re aliqua consultamus, & decernimus. Si vero aliquando id contingit, ex imperfectione provenit, quæ Deo tribuenda non est. Quod si non videtur necessarium duplicem illum ordinem assignare in mente eius, qui post consultationem prompte & absque impedimento id, quod intellectu concepit & decrevit, opere exequitur? quia peracto ordine intentionis statim procedit ad opus, ut experimento constat, cur quælo Deo, tanquam artificii tardo, & hebetioris intellectus, duplicem illum ordinem tribuamus, si quidem post priorem ordinem in summa promptitudine operari potest.

Quarto etiam si con- edamus, duplicem illum ordinem ab artifice considerari, nunquam tamen sic loquimur, ideo voluit talem finem, quia media prævidit; sed semper è contrario dicendum est; ideo talia elegit media, quia voluit finem; licet considerans, & reuolvens intra se ordinem, qui futurus est in executione, videat ex tali medio futurum talem finem. Veluti si medicus decrevit sanare aliquem, & consultans de medijs elegit scissionem venæ, & deinde considerans quomodo executio procedit, videt ex tali scissione sequituram evacuationem maligni humoris, & eo ablato futuram sanitatem: non dicimus; ideo voluit sanare, quia vidit scissionem: sed solum dicimus, vidit ex scissione futuram sanitatem. Si autem diceremus, ideo voluit, & decrevit sanare, quia vidit posse fieri scissionem, sine dubio commoditas medijs impulsisset ad voluntatem finis, quem alias ille non veller. Id quod aliquando contingit, ut cap. 11. dicemus, quando nimirum onicum medium inuenitur ad consequentiam finis eo modo, ut desideratur: quod si plura sunt media, & voluntas finis fuit definita non intuitu huius, vel illius, nunquam, cum consideramus ordinem executionis, & mente reuoluimus, dicimus, ideo finis voluitus est, quia tale medium fuit præuium, aut electum, sed contra, quia voluitus fuit finis, tale medium, electum fuit, & præuium, ut adhibendum: asserimus tamen, ex tali medio sequitur ipsa talis finis. Ratio vero discriminis est, quia diuersum est genus causalitatis in volendo, quam in faciendo, & exequendo: in volendo enim illud est causa, quod mouet ut finis: nonquam ergo dicimus, artifex voluit talem finem, quia vidit tale medium, nisi in casu prædi-

cto, in quo medium redundat in ipsam rationem finis: dicimus tamen, videt intellectus in re sequiturum talem finem ex tali medio: quia tunc solum attenditur causalitas efficiendi. Hæc meo iudicio certissima sunt. Ex quibus demonstro, Aug. non fuisse loquutum de ordine executionis mente considerato. Nam si ordine intentionis Deus iam voluisset vitam æternam aliquibus hominibus ante merita præuisa, absolute, & ex se, etiam si diceremus, ipsum considerasse deinde ordinem executionis, quomodo scilicet per merita, tanquam per media, consequenda esset beatitudo, nunquam tamen dicere possemus, ideo Deum voluisse dare gloriam, quia vidit merita, quando iam absolute eam voluit, non intuitu meritum. Sicut de eo, qui statuit finem ante media ordine intentionis, nunquam postea nec ordine executionis asserimus, ipsum voluisse finem ex medijs præuisis, ut probatum manet. Cum igitur Aug. in illa quæstione ad *Simplician*. & *Prosper*. loc. cit. dicant ideo homines electos, quia merita eorum præuisa sunt, consequitur eos etiam de quouis ordine intentionis, & voluntatis plane loquutos. Aug. dicit, *Quia illud* (scilicet propositum iustificandi) manet, ut iustificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum celorum. *Prosper* autem de prædestinatis ait: *Cum etiam ad hoc operentur, ut electi sint.* Si ergo ideo voluntate dei eliguntur, quia prævidentur habere merita, vel ad hoc operatur, ut eligantur, respectu voluntatis priora fuerunt merita. Contra vero non dicimus, ad hoc, ut velit quis sanari, scinditur vena, quia voluntas sanandi, prior est in intentione, & voluntate: dicimus tamen ad hoc, ut quis sanetur, scinditur vena, quia hic solum efficacia in re significatur, & particula, ut, denotat causam finalem priorem in intentione, sed re ipsa in executione efficientis posteriore.

Quinto quotiescunque media ad aliquem finem consequendum sunt merita, & quis proponit alteri finem consequendum per illa, ipsi proponenti sunt priora merita, quam decernat dare finem, nam talis finis non datur, nisi intuitu meritum, & ad modum præmij: ille tamen, cui talis finis proponitur, prius mouetur in se; deinde adhibet merita, ut illum consequatur, & ideo notavi disp. 82. c. 5. quoties medium ad aliquem finem est morale, illud esse prius præuisum, quam sit voluntas conferendi talem finem. Intelligitur autem respectu voluntatis eius, qui proponit finem, sicut Deus hominibus proponit beatitudinem, non respectu eius, qui suis meritis illam consequi debet: id quod magis explicabitur c. 9.

Denique modus ipse loquendi causalium propositionum rem ipsam, & mentem Aug. nobis explanat, dicimus enim, *Deus voluit dare vitam æternam Petro, quia vidit re ipsa futurum esse sanctum, non autem, voluit dare vitam æternam, ut re ipsa esset sanctus.* Si autem prius in intentione voluit beatitudinem dare, & deinde merita, & sanctitatem, sequitur ad hoc decreuisse dare beatitudinem, ut postea daret sanctitatem. Ex illo ergo modo loquendi, *Decreuit dare gloriam, quia vidit futurum esse sanctum,* colligitur habuisse rationem meritum, sicut si diceremus, ideo vocauit Petrum, quia cognouit futurum esse sanctum, fareremur rationem habuisse meritum, ut vocaret. nunc autem, quia non habuit, dicitur, vocauit, non quia nouit fore sanctum, sed ut esset sanctus.

Dicitur explicatio meriti, Aug. respugnat.

Augustin. Prosper.

57-

Doctrina valde notanda.

Ex modo loquendi vera sententia confirmatur.

Vsq; in part. Tomus 1.

Nihil contra hanc electionem ex meritis docuisse Aug.

Non solum testimonijs allegatis in 1. cap. sed etiam ianumeris alijs conantur, aduersarij ex August. probare electionem ad vitam æternam, id est, voluntatem efficacem beãdi homines fuisse ante merita. Nunc ergo, vt multo magis mens Augustini perspicua fiat, id quod posteriori loco promissimus, ostendamus: nihil videlicet contra electionem ad gloriam ex meritis gratiæ docuisse, etiam cum seuerius contra Pelagianos & Semipelagianos pro gratiâ disputauit. Verum antequam nonnulla loca sigillatim proferamus, & examinemus, cur aliqui in Aug. decepti sint, vniuersum demonstremus.

Multi in Augustin. intelligentia decepti sentiant. O.Kam. Gabr. 59. Con. Valenti.

Dried. Ruardus. Sixtus. Senen.

Prior causa deceptions.

Electio ad gloriam quo differt a de predestinatione.

S. Thomas. Scholasticus. Augustin. 60. Fulgent.

Proverb.

Primum ergo non pauci purantes cum O.Kam. & Gabriele, quos supra in hac disputatio. c. 2. retulimus, prædestinationem esse solum voluntatem illam, qua Deus efficaciter decreuit aliquos beare, cum viderent August. passim clamare homines prædestinatos esse gratis, & absque meritis, imo sic esse prædestinatos ad vitam æternam, vt 6. Hypognotic. circa medium, cui consensit Concilium Valentinum sub Lothario Imperatore, capite 7. dixerunt, ipsum plane sensisse homines electos fuisse voluntate illa effici ad vitam æternam sine meritis etiam cum gratia factis, & in eo Augustinum Græcis Patribus fuisse aduersatum. Sic Augustinum intellexerunt Driedo, Ruar. & Sixtus Senen. à nobis citati cap. 1. huius di. parat. & eius sententiam in hoc sensu sequuntur. Sic etiam interpretati sunt Augustinum Catherinus, Camerarius, Osorius, à nobis ibidem allegati. Licet opinio August. sic explicatæ minime acquiescant, vt eodem c. vidimus.

Hi tamen auctores in duobus manifeste decepti sunt. Alterum est, quod electionem ad vitam æternam cum prædestinatione confundant, quas S. Tho. in hoc a. 4. & seq. plane distinguit. Est n. electio ad gloriam voluntas gloriam conferendi alicui, sed prædestinatio est æterna donorum gratiæ præparatio; quæ duò longe diuersa sunt. Porro electionem esse voluntatem efficacem dandi gratiam, ita nunc supponimus, & certum est inter omnes, nam de hac disputamus. Prædestinatione vero esse præparationem donorum gratiæ, præter S. Th. & alios Scholasticos, quos disput. 91. commemorabimus, docet expresse Aug. 1. lib. de prædest. Sanct. cap. 10. vbi sic ait: *Inter gratiam porro, & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratia preparatio (intelligit in Dei præscientia) gratiam ipsa donatio. Et li. 2. de bono perseverantia c. 14. sic prædestinatio em definit: Hac prædestinatio Sanctorum nihil est aliud, quam præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur. Sic etiam alij Patres, quos disp. illa cap. 3. citabimus inter ceteros prædestinationis gratiam connumerant. Est ergo prædestinatio donorum gratiæ, & solum differunt gratia & prædestinatio, quod gratia est obiectum, prædestinatio vero est actus voluntatis, & intellectus Dei illam decernentis, & disponentis. Intelligit autem Aug. æternam præparationem, sicut ex textu patet, & notauit Fulgen. lib. 1. ad Monimum c. 8. his verbis: *Prædestinationis itaque ipsius instituitur agnitio cum scriptura, & preparatur voluntas à domino (Proverb.**

scilicet 19. iuxta translationem 70. non autem ad aliquid preparata dicitur, nisi quia danda prædicatur. a quo enim preparatur per bonitatem sempiternam, ab ipso datur per inæbitam gratiam. Cur autem ratione vocationis congruè ipsa voluntas dicitur preparari, & prædestinari, explicat disp. 88. cap. vi. Id ipsam eodem modo intellexit Aug. lib. 11. c. 9.

Quocirca eadem fuit semper Augustino cum Pelagianis, & Semipelagianis contentio de gratiâ, atque de prædestinatione, cum de meritis agebatur, an scilicet ex meritis esset, & eandem vitiuque rationem esse putauit. Imo, vt demonstraret gratiam ex meritis in tempore non dari, ostendit prædestinationem sine præstitione meritorij solonutu, & voluntate Dei factam fuisse. Contra vero, cum dixit in epistolam ad Rom. gratiam in tempore dari ex meritis arbitrij, docuit etiam hac merita ad gratiam electa fuisse in æterna Dei prædestinatione, vt c. seq. r. feremus. S. d. sicut nunquam contendit contra eosdem, aut alios probare gloriam in tempore gratiæ dari, & sine meritis viliis, id enim sentire non potuit Aug. nec vilius Catholicos: licet etiam ad hoc probandum aliquam illam electionem ad gloriam ante merita factam fuisse, vt autem ostenderet gratiam in tempore sine meritis dari, parum referebat, quod Deus gloriam ante omnia merita tanquam finem dare decreuisset. Quamobrem cum in Aug. prædestinatio non dicitur gratia quia gratia est ipsa donatio, & effectus prædestinationis, sed vocetur gratuita voluntas, tamen electio ad gloriam que est voluntas illa conferendi vitam æternam, nec dicitur gratia, nec omnino gratuita voluntas appellari potest: quia voluntas gratuita dicitur ex eff. et. c. effectus autem illius electionis, scilicet gloria, non est omnino gratuita, sed gratia pro gratiâ, sicut Aug. frequenter iam vocat.

Fateor tamen Aug. aliquando prædestinationem vocare ipsam voluntatem remunerationis dandi scilicet vitam æternam, vt c. 9. videbimus hanc tamen non appellari absolute prædestinationem, sed prædestinationem remunerationis: neque liber ille ab omnibus, vt Augustini recipitur, quamuis meo iudicio nihil contrarium doctrinæ ipsius contineat, vt ibidem dicemus. Tamen nihilominus donorum gratiæ præparatio, dicitur prædestinatio ad vitam, seu ad vitam æternam, non quia sit sola voluntas dandi gloriam, & inde incipiat prædestinatio, sed quia dona, quæ præparantur, ordinantur hominem in vitam æternam. Vt autem ad gloriam ordinem, satis est eam esse voluuntate simplici antecedenti, vt in hoc cap. & ultimo iterum notabimus.

Alterum, in quo hi auctores fuerunt decepti, est, quod purarunt Græcos Patres. Aug. contraria docuisse, quasi assereret Aug. homines ad gloriam sine meritis electos fuisse: v. reuera Patres Græci, & Massilienses, qui eorum testimonio nitentur, id contra Aug. impugnare nunquam somniant, vt ostendimus c. 4. neque id Aug. vquam docuerit, vt statim patebit. Solum namque contempderunt Massilienses gratiam in tempore dari intuitu alicuius laboris, industria, aut voluntatis nostræ, & ratione illius electos fuisse homines ad gratiam ab æterno, intellexeruntque Augustinum contra Græcos Patres pronunciasse ad gratiam sine meritis factam fuisse, sicut & ipsam gratiam sine meritis in tempore dari. De hac enim fuisse eorum

rum disensionem cum Augustino plane conuincimus c. 4. non autem de electione ad vitam æternam. Quibus vero rationibus uteretur contra Aug. & quid ipse ad testimonia Græcorum, quæ contra afferbantur, responderit, videbimus disp. 91. c. 9. & 17. Reliquum est, ut ostendamus nullum esse locum in Aug. in quo dicat electionem ad vitam æternam ante merita factam fuisse: & quia molestum esset omnia loca recensere, difficiliora tantum recitare decreui, & quæ frequentius afferri solent: cetera namque eodem modo explicari poterunt.

Primum testimonium sit ex li. 5. contra Iulianum cap. 3. post medium, ubi adducens verba ad Rom. 11. Quis inquit prior dedit ei & retribuatur, nullum elegit dignum, sed eligendo fecit dignum. & paulo inferius: ipsi ergo electi, & hoc ante mundi constitutionem, sed electi per electionem gratiæ. Vnde dicit idem doctor, & de Israel reliqui per electionem gratiæ salua facta sunt, & ne forte ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi, sequitur est, & adiunxit: si autem gratia, iam non ex operibus. Vbi plane de electione gratiæ loquitur, qua quis eligitur à deo, non voluntate efficaci dandi vitam æternam, sed voluntate gratuita præueniendi gratia sua. Id vero contra Semipelagianos contendit, qui ex nobis initium aliquid esse dicebant, quia si ita esset, ut illi existimabant, iam gratia non esset gratia. Quod qua ratione verum sit, dicemus disp. illa 91. c. 14.

Ex eo vero quod quis ad gloriam eligatur ex meritis gratiæ: vnde nam sequitur gratiam non esse gratiam? solum sequitur gloriam non esse gratiam, sed mercedem. Neque hoc absolute colligitur, quia ut nullam haberet rationem gratiæ, deberet fieri ex meritis, non gratiæ, sed nudi arbitrij, alioqui cum fiat ex meritis gratiæ, etiam si merces sit bonorum operum, dicitur tamen gratia. Sic eam vocat Aug. lib. de gratia & li. arbit. cap. 8. & 9. & tract. 2. in Ioan. circa medium, & Fulgentius lib. 1. ad Monimum c. 10. Ideo Conc. Trid. sessione 6. c. 16. ait Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Iesum Christum misericorditer promissa, & tanquam merces, ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Dicitur autem gratia ratione principij, ex quo nascitur, corona vero iustitiæ tantum, quia redditur meritis, ut explicat Aug. c. illo. 8. & 9.

Secundum testimonium sit ex libr. 1. de prædest. sancti. c. 19. ubi contra Pelagianos & Semipelagianos adduxit illud ad Ephes. 2. Elegit nos in ipso, &c. Et ostendit, eo testimonio plane confutari Pelagianorum errorem, qui dicebant, ideo nos prædestinatos fuisse, quia futuri eramus sancti. Putabant enim, ex nostro libero arbitrio nos posse seruare legem, iustificari, & perseuerare. Dicit autem Aug. eo testimonio confutari, quia inquit Paulus. Ut essemus sancti, non quia futuri eramus sancti. Subiungit vero statim August. hæc verba: Sed hinc nostri, de quibus, vel pro quibus nunc agimus (scilicet Massilienses, Semipelagiani) forsitan dicunt, Pelagianos hoc Apostolico testimonio refutari, ubi dicit, ideo nos electos in Christo, & prædestinatos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati, ipsi enim putant (scilicet Pelagiani) acceptis præceptis iam per nos ipsos fieri libera voluntatis arbitrio sanctos, & immaculatos. Quod futurum Deus quoniam præsciuit (inquunt) ideo nos ante mundi constitutionem elegit, & prædestinavit in Christo. Nos autem

(scilicet Semipelagiani) dicimus (inquunt) nostrum Deum non præscisse, nisi fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegisse ante mundi constitutionem, ut iam sancti, & immaculati gratia, atque opere eius essemus. Sed audiant & ipsi (scilicet Semipelagiani) in hoc testimonio, ubi dicit. Sortem consequuti sumus prædestinari secundum propositum, qui vniuersa operatur. Ipse ergo, ut credere incipiamus, operatur, qui vniuersa operatur. Vocationem quippe illam, de qua dictum est, sine penitentia sunt dona Dei, & vocatio Dei, & de qua dictum est, Non ex operibus sed ex vocante, cum posset dicere, sed ex credente, & electionem, quam significauit Dominus dicens: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, nec fides ipsa præcedit: non enim quia credidimus sed, ut credamus, elegit nos, ne priores ipsi m. elegisse dicamur. Hæc August.

Ceterum ex his quis non videat solum hic voluisse Augustinum excludere opinionem Massiliensium, qui dicebant, nos eligi ad gratiam propter meritum fidei, quod ex nobis haberemus? de electione autem ad vitam æternam ex meritis gratiæ præuisis, ne verbum quidem habet: siquidem de his cum Massiliensibus nulla erat contentio. Nec toto illo libro & seq. ubi ex professo contra eos disputat, quidquam aliud inueniri poterit. Quod si contra Pelagianos in hoc testimonio contendit, non fuisse nos electos ad vitam æternam ex meritis, intelligit merita liberi arbitrij: nam ex meritis gratiæ id nunquam negauit. Illi enim asserunt ante in tempore ex meritis arbitrij nobis dari vitam æternam. Quid ergo mirum, si in electionem affererent, Deum hæc merita respexisse? id ipsum, quod in hoc capite nec quidquam aliud contra Semipelagianos docuit eodem lib. cap. 17. ubi etiam circa finem, illud Iacobi 2. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni hoc modo explicat: Eligendo ergo facit diuites in fide, sicut heredes regni. Recte quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit. Dicitur ergo eligere Deus sine meritis, ut faciat fideles; quia sine meritis facit fideles: & recte dicitur hoc eligere, quod ipse facit. Hoc pacto lib. 5. circa Iulian. cap. 3. inquit. Nullum elegit dignum, sed eligendo efficit dignum. Ideoque in lib. de prædest. & gratia c. 5. in fine ait, in Deo hæc tria simul esse præscire, facere, & eligere, & ita immutata sua præscientia Deum eligere faciendos, & facere eligendos. Quasi dicat, eligi; ut per gratiam faciat sanctos, & facit sanctos eligendo eos: nisi & hoc postremum ad electionem vitæ æternæ ex meritis referatur, cum dicit facere eligendos: sicut dixit Prosper citatus cap. 5. in fine, Deum donare nobis, vnde ornemur meritis, & nos ad hoc operari, ut eligamur. Eodem sensu dicit Prosper. 1. de verb. apostoli: Eliguntur qui non sunt, neque errat, qui eligi. Nec vane eligi. Eligunt tamen, & habet electos, quos creaturus est eligendos.

Allegari etiam solet Aug. lib. de prædest. & gratia cap. 7. tractatu 86. in Ioan. Epist. 103. & 106. parum à principio in Enchir. cap. 107. & corrept. & gratia cap. 10. Prosper ad excerpta Genuesium ad 4. c. 5. obiectionem, Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia Domini nostri Iesu Christi cap. 18. sed tamen August. & eius discipuli, vbicunque de electione sine meritis loquuntur, tantum excludere contendunt merita solius arbitrij ab electione, quæ fit ad gratiam.

Ceterum duobus alijs testimonijs August. recentiores prædictam sententiam magis vrgent, qui in mediocri attentione legantur, nihil difficultatis ingerent. Alterum est lib. 2. de bono perseuer. c. 14. obijciunt.

Explicatur de electione ad gratiam.

66.

Iacob. 2.

Prosper.

Augustin.

Prosper.

Fulgen.

In vniuersum electio sine meritis in Aug. & eius discipulis est ad gratiam significat.

Alterum testimonium obijciunt.



vbi de Tyrijs, & Sidonijs dicit. Sed quoniam vt crederent non erat eis datum, etiam vnde crederent est negatum, ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter minus intelligentia, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conficiant, & tamen si Dei altiori iudicio à perditionis massa non sunt gratia prædeterminatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta diuina, vel facta, per que possunt credere, si auderent vti que talia, vel viderent. Ex quibus inferunt, prædeterminatis auxiliis congrua ideo conferri, quia voluntate illa efficaci dandi vitam æternam discreti sunt à reprobis: contra vero hæc auxilia reprobis denegari, quia tali voluntate non sunt separati, sed in massa perditionis derelicti. Quocirca dicunt, prius aliquem discerni à reprobis, voluntate, dandi ei regnum cælorum, quam congruam ei vocationem præparari, quæ propria est prædeterminatorum: & contra prius est, non discerni hac voluntate, quam ei auxilia huiusmodi negari.

68.

Explicetur.

Respondeo, si phrasin Aug. quam ille præmiserat. lib. 1. de prædest. sanct. cap. 10. & hic etiam obseruat, aduersarij attendissent, facile deprehendissent frivolum esse hanc objectionem. Primum, quoniam August. non dicit, ideo non dari eis congruam vocationem, quia discreti non sunt, neque ideo dari eam vocationem, quia discreti sunt, sed his non dari, qui discreti non sunt: id quod verissimum est, etiam si voluntas negandi vitam æternam, sit post opera præuisa, vt aduersarij etiam faterentur, & omnes concedere debent. Similiter dicere potuit, conferri congruam vocationem eis, qui discreti sunt, etiam si discretio fiat post opera: quia reuera non datur nisi ijs, qui cum ea operati sunt, & ratione operum vitam æternam consequuntur: licet non ideo vocatione concedatur, quia operati sunt.

Discretionem à massa perditionis prædeterminationem gratiæ, non electionem ad gloriam docet fieri Augustinus.

69.

Præterea discretionem hic non existimat Aug. esse voluntatem dandi vitam æternam, sed prædeterminationem gratiæ: at prædeterminatio est gratiæ præparatio, non voluntas dandi vitam æternam. Sic definiuit prædeterminationem lib. illo 1. cap. 10. & data opera dixit Aug. discretionem fieri prædeterminationem gratiæ, in testimonio superius citato. Nominem igitur prædeterminationis gratiæ frustra intelligunt hi voluntatem gloriæ, quæ non est gratia, nisi ratione principij, sed gratia pro gratia, vt dictum est. Cum ergo ait Aug. quibusdam esse negatum, vnde credant, quia non est datum, vt credant, & ita signa, aut verba eis negari, qui discreti non sunt, etiam si sensus causalis esset, nihil prædictæ doctrinæ aduersaretur. Ibi enim Aug. sermonem instituit de signis, & verbis exteriorib. vnde prouenit, vt quis credat, & conuertatur, sicut fecissent Tyrii, nõ autem de gratia interiori mouete. De his vero recte inquit, ideo negata esse signa hæc exteriora, vel verba, quia non erat eis concessum, vt crederent: concessum autem hominibus vt credant præuenienti congrua vocatione. Similiter hæc signa, vel verba aliquibus non sunt concessa, quia non sunt per prædeterminationem gratiæ præuenientis à massa perditionis discreti. Nam toto illo opere, & vbique de discretionem tractat August. eam gratiæ præuenienti tribuit, sicut etiam electionem ad gratiam, non autem voluntati dandi gloriam. Vnde ergo colligunt prædicti Doctores Aug loqui de voluntate dandi vitam æternam, qua boni discernantur à malis, & de gratia

interiori præuenienti, vt hac ratione interior hæc gratia detur quibusdam, quia voluntate eos beandib. sint à Deo discreti, cum non de gratia interiori, sed de signis exterioris, nec de voluntate dandi eis gloriam, sed præparandi gratiam internam Aug. loquatur?

Alterum testimonium est de corrept. & gratia cap. illo 7. vbi postquam late ostendit electionem factam fuisse ante opera, de electis sic ait: Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus, sed nemo eorum perit, quia nulla vinitur Deus: electi autem sunt ad regnandum cum Christo: non quomodo electus est Iudas ad opus, cui congruebat. Et de eis iterum dicit. Illos ergo elegit ad obtinendam regnum suum. Eodem modo loquitur eo lib. cap. 9. Verum tamen quicumque contextum totius capitis vel leuiter perlegat, statim videbit non de electione ad gloriam, quam aduersarij contendunt, quæ est voluntas efficacis perducendi ad vitam æternam, sed de voluntate dandi gratiam, ad quam homines sine meritis arbitrij eliguntur, Augusti. loquitur: nam paulo ante in illo c. 7. dixerat. Profectio electi sunt per electionem, vt dictum est gratiæ, non præcedentium meritorum suorum: quia gratia est illis omne meritum, & superius: Qui & elegit eos in silo suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia. Certe si de electione ad vitam æternam loqueretur, non negaret ex meritis gratiæ dari, nec diceret, si ex operibus gratiæ, iam non est gratia.

Primum autem probatur, quia nemo negare potest, gloriam dari ex operibus profectis à gratia, sicut negare debet gratiam dari ex operibus, vt ibi contendit Aug. Tum etiam quia nusquam ipse infert tanquam absurdum, gloriam non esse gratiam, si datur ex operibus, sed id in solum de gratia contra Semipelagianos deducit, iuxta doctrinam Pauli ad Rom. 11. nam gloriam, vt supra vidimus, ipse Augustinus semper appellat gratiam pro gratia, quia ex meritis gratiæ conferuntur. Ad hæc cum loquatur de electione gratiæ, non debet intelligi electione, & voluntate dandi gloriam, sed gratiam.

Præterea in eod. cap. de eisdem electis inquit, ideo electos esse, quia secundum propositum sunt vocati: id quod iterum, atque iterum repetit: at si de electione ad vitam æternam sermo esset, quam aduersarij volunt esse priorem omni præuisione meritorum, nõ recte diceret, ideo sunt electi, quia secundum propositum vocati, sed ideo vocati secundum propositum, quia electi. Vocatio enim secundum propositum, vt ex disp. 88. cap. vlt. constat, dicitur, quæ congrua est, frivolum autem, imo indignum est de tanto viro existimare, in tam paucis verbis, aut mutasse sententiam, aut varie loquutum fuisse, tum de electione ad gratiam, tum de electione ad gloriam, vel eo saltem, quod ex contextu aperte liquet, eum constanter de eodem genere electionis semper loquutum. Cum ergo ait ideo electi, quia secundum propositum vocati, reddit causam quasi formalem, vt eo dicantur electi, quod secundum propositum vocati. Eodem modo loquitur lib. 1. de prædest. sanct. cap. 17. Electi sunt, autem, inquit, ea vocatione, qua Deus id, quod prædestinavit, implet: de eadem quoque electione ad gratiam plane intelligendus est capit. illo, citato.

Sed

Explicitio Aug. notanda.

72.

Aug. sic.

Et sic constat Aug. licet ex re vera electio sit de deo.

Quomodo scilicet operari non potest nisi per gratiam.

73.

Sed cur de electis ad gratiam dixit, electos esse ad regnandum cum Christo, vel ad vitam aeternam, siquidem in ea electione gratia nondum erat efficax voluntas dandi eis regnum aeternum? Respondet, quia gratia est vita aeterna, & semen illius, ideo iure optimo de electis ad gratiam, dixit hoc ipso electos ad gloriam, & ad regnandum cum Christo. Eodem pacto debet intelligi Aug. vbi cumque dixerit praedestinatum esse regnum caelorum sine meritis. Nam cum praedestinatio sit gratiae praeparatio, & haec sine meritis arbitrij datur, atque ab aeterno praeparatur, in eaque sit regnum caelorum, imo in Scriptura regnum caelorum vocetur; recte quoque dicitur, regnum caelorum sine meritis esse praedestinatum. Hoc tamen non obstat, quo minus Deus non nisi ex meritis prauius gratiae decreuerit, vitam aeternam conferre.

Ex dictis colligitur, Aug. locis citatis sibi contraria non docuisse in eo, quod asserit electionem factam ex operibus, seu voluntates electas fuisse & rursam neminem electum fuisse ex operibus. Primum, cum Aug. non loquatur vtroque de eodem genere operum, ex hac parte sibi non contradicit. Nam cum asserit electas fuisse hominum voluntates, non intelligit opera solius arbitrij, sed ex gratia profecta: cum vero ait, electionem non fuisse factam ex praescientia operum, sed gratis, excludit opera liberi arbitrij contra Pelagianos, & Semipelagianos, vt iam satis explicatum est: tamen ipse Aug. adhuc presbyter oppositum docuerit.

Haec eadem ratione concilians dos existimo Paulum ad Rom. 3.4. & 11. & ad Galat. 2. & 3. asserentem, hominem non iustificari ex operibus, sed ex fide: atque Iacobum cap. 2. cum inquit, hominem non ex fide tantum, sed ex operibus iustificari. Paulus enim excludit opera, non caeremonialia solum, sed etiam moralia, quae sint ex solo libero arbitrio; & docet, ex his non iustificari hominem; quia iustificatio non esset gratia. Hoc autem intelligit tamen de prima iustificatione, quam de secunda, hoc est, quam de augmento primae: vtriusque enim iustitiae, tam acquirendae, quam augendae eadem est ratio, vt neutro modo ex solo libero arbitrio esse possit. Nam quoties homo bonis operibus, aut promouetur ad iustitiam acquirendam, vel in ea acquisita crescit, semper operatur ex auxilio gratiae Dei; atque ideo Paulus exemplum adduxit Abrahami, qui eo tempore, quo Deo credit, & reputatus est illi ad iustitiam, iam erat iustus apud Deum. Iacobus autem ait, non ex sola fide iustificari hominem, siue de prima iustificatione, siue de augmento intelligamus, sed ex operibus a fide procedentibus; quia non sufficit credere, sed oportet ex fide operari; ideoque adduxit exemplam primae, quam secundae iustificationis. Raab enim ex operibus misericordiae a fide profectis primam iustitiam consequuta est, impetrans a deo annumerari in populo Israel, & veram doloris compunctionem. Deinde dicit Abraham, cuius exemplum adduxerat etiam Paulus, iustificatum fuisse ex operibus, quem tamen Paulus dixerat, non ex operibus, sed ex fide, quia tam acquirendae, quam augendae iustificationis in hoc aequa ratio est. Perperam igitur nonnulli putant Paulum de prima, Iacobum vero de secunda iustificatione loquutum: cum vterque vno eodemque exemplo

secundae iustificationis vtatur, & Iacobus etiam addat exemplum primae: imo cum dicit Iacobus, Et suppleta est Scriptura dicens credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam: interpretatur Scripturam Genesim 15. vbi dicitur illud, Credidit Abraham, &c. & Paulum, qui eo vtitur testimonio, ita vt non excludantur opera facta ex fide, probat autem ex ipsa Scriptura, quia Abraham non tantum credit, sed ex fide etiam immolauit filium suum, quo facto, inquit Iacobus, suppleri debet Scripturam, quae soli fidei tribuere videtur iustificationem; vt intelligatur de fide operante.

Deinde ex alio etiam capite Aug. sibi non aduerfatur, quia cum dicit electionem praemisso examine operum ex iustitia fuisse factam, intelligit ad vitam aeternam: cum autem inquit, sine examine, & non ex operibus, sed gratis fuisse nominis electos, intelligit ad gratiam.

CAPVT IX.

Electio ad gloriam post merita a priori probatur.

Reliquum est, vt hanc eandem sententiam rationibus confirmemus, atque primum eas, quae a priori rem ostendant, in hoc cap. proferamus. Prima desumpta est ex communi doctrina Theologorum, qui vno ore farentur, Deum voluntate sua primaria, & antecedenti voluisse omnibus dare vitam aeternam, ac proinde eam voluntatem communem esse omnibus: voluntas autem antecedens, & primaria est ante prauiuionem meritorum: ergo voluntas Dei ante merita prauiua est omnibus aequalis. Quare cum non decreuerit Deus, efficaci voluntate omnibus dare gloriam, efficitur sane, nullum ad eam electum fuisse efficaci voluntate, nisi ex praescientia meritorum. Porro antecedentem voluntatem illam esse, quae ex solo Deo est, siue vlla praescientia meritorum, iam satis a nobis probatum est disp. 83. cap. 3. vbi etiam ostendimus, non ideo dici antecedentem, quia sit simplex, & inefficax, sed quia sit ex solo Deo; neque consequentem, quia sit efficax; sed quia sit post opera nostra prauiua, & ex nobis occasionem capiens.

Non minus efficaces rationes depromi possunt ex doctrina tradita disp. 82. cap. 5. videlicet non aliter in decreto, & praescientia Dei rationem prioris, & posterioris nostro modo intelligendi posse assignari, quam vno ex duobus modis. Vnus est per analogiam, & similitudinem ad mentem humanam, quae de rebus consultat, & definit, vt ordinem, quem seruet in rebus, cum ordinate procedit, deo etiam assignemus. Alter est ex parte obiectorum, quae Deus praescire, & praefinire dicitur: nam quamuis non velit vnam rem creatam propter aliam, id est, quia vult aliam; quia tamen vult vnam esse propter aliam, vt in ea disp. probatum est, eum ordinem in diuina praescientia, & praefinitione nostro modo intelligendi constituere debemus, quem obiecta inter se habent: ex vtroque autem capite non obscure monstrabimus electionem, efficacemque voluntatem dandi vitam aeternam fuisse ex praescientia meritorum, imo vero si hoc modo fieri potuit, aliter fieri non potuisse, si gloria in tempore ex meritis tribuenda erat.

Secunda igitur ratio esse potest ex humanis ad diuina: si enim Rex aliquis proponeret praemium aliquod bene certantibus, atque ea lege, vt nullus illo

Augustinus

Prima ratio a priori.

75.

Duplex modus assignandi rationem prioris & posterioris in decreto, & praescientia Dei.

Secunda ratio.

illo potiretur, nisi qui victor esset, certe nunquam decerneret alicui dare præmium, quantumvis eum amaret, & præmium ei desideraret, antequam victorem videret: poterat quidem ei meliorem animam, meliorem equum, & alia necessaria ad certamen tribuere: at decernere apud se præmium illud conferre certe stultum esset: si tantquam præmium proponere volebat. Quod si præcius esset euentus, & sciret illum victurum; ex præscientia victoriæ posset apud se statuere præmium dare: sed si non esset præcius victoriæ, non posset non in tempore expectare victoriam, ut intuitu illius, & propter illam præmium decerneret. Cum ergo Deus vitam æternam omnibus proponat, ut brauium, & legitime solum certanti propter victoriam, & perseverantiam eam promittat; non potuit non expectare victoriam, ut ratione illius tale præmium conferre statueret. Verum quia præcius est futurorum, & omnia ac si præsentia essent, clare videt; expectat quidem victoriam, non tempore, sed secundum rationem in sua æternitate, ut intuitu illius conferat: nam stultum esset absque illius respectu, præmium præferre, si illud propter victoriam solum promittit, ut de Rege dicebamus. Licet ergo Deus plus quibusdam desideraret præmium vitæ æternæ, quam aliis, antequam videret victoriam, eis nimirum, quibus meliorem gratiam ad gloriam promerendum conferre decrevit, qui prædestinati dicuntur; nulla tamen ratione adhibendum est, illis efficaciter gloriam dare voluisse, nisi præcisa victoriæ, & ratione illius tanquam causæ meritorie. An vero Deus possit peculiari desiderio vni velle vitam æternam, antequam prævideat ipsius merita, tunc solum, cum ei conferre decernit maiora media gratiæ, cap. ult. dicemus.

Augustin. Hæc de causa Aug. lib. de prædest. Dei, cap. 2. & 3. docuisse videtur, duplicem esse prædestinationem alteram alligationis, scilicet rerum naturalium in suos fines, alteram vero conditionis, videlicet hominum ad poenam, aut ad vitam æternam. Vnde in fine cap. 3. sic ait: *Ex præscientia igitur offensionis, vltionem ut iustus iudex prædestinavit: sicut ex præscientia virtutis, prædestinatio solet fieri remunerationis.* Sic explicat illud 8. Quos præcinit, ubi primum nota hic prædestinationem vocari ab Aug. non præparationem gratiæ, secundum phrasim eius communem l. 1. de prædestinatione Sanctorum c. 10. & alibi, sed voluntatem dandi gloriam. Verum tamen non dixit absolute prædestinationem, sed prædestinationem remunerationis. Hanc autem fateatur esse ex præscientiâ: quia est prædestinatio sub conditione, si bene quis mereatur, & perseveret: quod est proponere vitam æternam ut brauium. Præterea observa, licet hic liber censetur ab Erasmo inter opera notha, quæ Aug. adscribuntur, rationes tamen, quibus ad hoc credendum adducitur, frivola esse. Vna est, quia opus est, breve: atque qui plura alia sunt in tom. 9. multo breviora, quæ indubitanter sunt Aug. Altera est, quod contineat contrariam doctrinam ipsi Aug. fallitur tamen Erasmus: nam ubi docet prædestinationem factam absque meritis, loquitur de prædestinatione, quæ est gratiæ præparatio, & absolute prædestinatio dicitur: hic autem de prædestinatione præmij & remunerationis, quam nos communiter vocamus electionem ad gloriam. Sed iam ad tertiam rationem veniamus.

Tertia ratio non minus efficaciæ pro nostra sententia desumitur ex ordine obiectorum inter se. Nam secundum doctrinam à nobis traditam disputat. 82. cap. 5. eundem ordinem, quem habent obiecta inter se in re ipsa assignare debemus in divino decreto secundum diversum genus causæ, quo inter se comparantur: nam aliunde inter Dei decreta, & præfinitiones ordinem constitutur secundum rationem non possemus: & quamvis Deo perfectissimum modum, & ordinem operandi tribuere debeamus; nullus tamen ordo pro libito sine fundamento obiectorum, circa quæ operatur, ei tribuendus est. Vnde, ut inibi ostendimus, Deus non dicitur ordinare unum ad aliud pro sola sua voluntate, nisi quatenus obiecta re ipsa inter se ordinantur, & referuntur: nunc autem talis in rebus ipsis ordo constituitur, ut si aliquid est medium ad finem, sicut causa Physica finis consequendi, qualis est medicina ad sanitatem, in intentione firmiter ordo, ut prius volita sit sanitas, eo quod, etiam si sit effectus medicinæ in genere causæ efficientis, est tamen finis eius: finis autem relatus ad voluntatem prior est, & voluntas illius, quam voluntas mediorum. Si vero media alicuius finis sunt moralia; qualia sunt merita vel condigna, vel congrua, seu imperatoria; tamen illis, qui vult consequi ab alio tamen finem per merita, prius cogitet de fine, & ex voluntate efficaci illius velit habere merita tanquam media; tamen is, qui alteri promittit finem consequendum per merita tanquam per media, nunquam decernit dare illum, donec videat, aut prævideat merita, ut cap. 6. illius disp. notabamus.

Ratio vero est, quam ibi insinuavimus, quia medium morale, quod est meritum, non est medium Physicum, quod actione sua reali efficiat, & consequatur finem, sicut medicina sanitatem: sed est medium per modum imperationis relatum ad voluntatem eius, qui confert finem intuitu illius; nunquam autem meritum potest in tempore esse medium, nisi is, qui actu confert finem, illum tribuat propter merita: quo fit, ut prius ex videat, quam decernat dare finem, quem proponit. Hunc autem ordinem, quem voluntas in tempore servat, ut prius fiat merita, quam detur finis, servat etiam in præscientia Deus, quia tam in præscientia, quam in tempore ipso meritum comparatur, ut medium morale, cum voluntate illius, qui confert finem: & ita in mente eius, ut impetret, præcedere debet.

Quamobrem cum Massilienses mordicus defenderent, primam gratiam prævenientem dari nobis in tempore intuitu nostri laboris, & sollicitudinis, & ita concederent aliquod meritum, saltem congruum, & imperatorum gratiæ, consequenter dixerunt, nos fuisse ad gratiam electos æternæ Dei electione ex meritis nostri laboris præiis, siue ex hie, siue ex voluntate relargendi à peccatis, quam ex nobis esse putabant: siue ex alio opere nostro, ut liquet ex epistolis Hillarij, & Prosperij sæpius allegatis: nec vsquam Aug. contra eos disputans, hanc eorum sententiam impugnât, ex eo, quod finis prius debet præferri, quam media: & ita prius gratia, quæ in opinione Massiliensium est finis laboris, quam ipse labor, sed eos semper hac ratione urget. Quia sicut gratia in tempore non datur intuitu alicuius operis, aut meriti, ita nec ab æterno potuit præparari ex præ-

Augustin.

77. Augustini testimonium pro electione post operum prævisionem ad Rom. 8.

Erasm.

78.

qui si locum se comitantur, eodem pacto dici possent homines predestinati cum vestibus, qui simul in æternitate Deus vestitos illos habuit. Cum ergo merita ad electionem magis pertineant, sequitur merita ipsa causam esse debere, vt recte probatum manet.

Tertium Corol. optimus modus electi ad gloriam fuit ex meritis gratia.

Postremo denique infertur, non solum optimum modum præfieriendi gloriam, quæ futura est corona iustitiæ, & meritorum esse, quem diximus, vt prius scilicet merita præuideantur, ac proinde tanquam optimum modum Deo esse tribuendum; verum etiam non esse Deo alium modum possibilem, si semel concedamus, gloriam in tempore, non nisi ratione meritorum conferri.

85.

Primum sane hunc esse optimum modum, nemo potest ambigere, qui attente consideret, quo pacto prudēiores se gerant, cum aliquid tanquam præmium proponunt: hi enim nunquam dare alicui decernunt, sed neque possunt decernere, nisi prius meritis visis, si reuera illud vt præmium, & non nisi legitime certanti dare volunt. Quod si quispiam ita decerneret, vt efficaciter vellet alicui dare ex seipso, nulla habita ratione meritorum, & victoriæ. & ex alia parte stateret illud non nisi in præmiū laboris; certe stolidus esset, & pugnantia secum definirēt. Optimus ergo modus, qui etiam Deo adscribi debet, est, ex meritis dechoire, quicquid in tempore, vt præmium meritorum tribuendum est: cumque alius ordo stultus, & secum minime constans sit, diximus, Deo conuenire nequit, licet stultis hominibus, qui secum pugnantia statere possunt, interdum conueniat.

Si gloria in tempore datur ex meritis, non potest non præfieri ex meritis.

Deinde peculiari alia ratione probatur, non potuisse vno, & alio modo gloriam præfieri, si in tempore ex meritis condignis vere tribuenda esset: nam vt dicebamus disp. 82. c. 6. non potest varius modus ordinandi res inter se Deo conuenire, nisi mutatione, vel variatione aliqua facta: nulla enim mutatione facta in rebus, nec in ipso Deo, si semel intelligitur Deus velle gloriam propter merita, non potest non intelligi semper ita velle: at mutatio in ipso Deo nulla excogitari potest: in rebus autem nulla erit, si semper ita fiat, vt omnes qui gloriam consequuntur, eam prius dignis operibus promeriti sint. Quare si semel quis recte operetur, faciatque opus condignum æterna vita, & Deus re ipsa eam conferat, non potest non ex operibus illam conferre, eo solum, quod opera ipsa condigne vitam æternam exposcunt. Aut si semel admittimus, Deum ex se velle alicui gloriam, non ex meritis, non potest non ita velle, nisi in rebus aliqua variatio interueniat: nulla autem alia excogitari potest, quam si Deus conferret gloriam, ei, qui nulla merita haberet. Sic enim sicut in tempore non daret ex meritis, cum nulla essent; neque ab æterno ex illis dare decreuisset.

86.

Idem, quod hæcenus de adultis diximus, de paruulis etiam dictum præca, videlicet, eos non fuisse ad vitam æternam efficaciter electos præ aliis, nisi ex præscientia iustificationis; si quidem in tempore gloria paruulis solum iustificatis confertur, & iustificatio ipsorum eam postulat condigne, si non, vt præmium, saltem vt patrem hæreditatem, ad quam ipsa iustificatione sunt adoptati: cuius eadem omnino ratio esse debet atque si daretur, vt præmium.

Eadem sententia ex libertate arbitrii ostenditur.

Non minus efficaces sunt rationes à posteriori, quibus electio ad vitam ex meritis gratiæ in præscientia probari potest. Prima ratio ad hoc absurdum oppositam sententiam contendit deducere, vt in electis vere non maneat libertas consequendi, & amittendi beatitudinem. Nam si Deus ex se ipso nullam habens rationem meritorum, efficaciter aliquos beare decreuit, fit, vt non maneat in eorum libera potestate gloriam non consequi, & damnari; siquidem nullus decreto Dei resistere, aut ipsum irritum facere potest: quod est plane absurdum, & contra Scripturam. Vt autem hæc ratio magis confirmetur, duo mihi probanda sunt, vnum est, id, quod inferimus ex hac ratione, falsum esse: alterum est, id ex opposita sententia euidenter colligi.

Primum igitur, id quod inferimus, falsum esse, constat ex Scriptura, quæ sæpius reperit vnum, quemque nostrum recepturum in die iudicii secundum opera sua, sive bonum, sive malum, quod nisi in nostra situm esset potestate, frustra diceretur: tum etiam frustra diceretur, *Adueniat regnum tuum*, si illud consequi, aut amittere in nostra potestate non est libertate, nec ex nostra oratione vilo modo pender. Sic inferebant Massilienses contra August. dum de electione ad gratiam esset sermo. Sed longe diuersa ratio illius est, quam disput. 91. cap. 17. explicabimus. In difficultate vero præfenti; frustra beatitudinem à Deo postulati, optime consequitur, si illa ex nostra oratione, & libertate nullo modo pender. Quare tale decretum non dabitur August. & Patres fatale appellare, quod similem nobis necessitatem imponeret. Ad hæc nemo, qui semel ad gloriam electus est in vas honoris, potest se facere vas contumelie, & damnationis propria iniquitate. Nam sine bonis, siue malis fuerit semper erit vas electionis in honorem & gloriam, cum eam electionem semel factam irritam facere suæ potestatis non sit: at Paulus 1. ad Timoth. 2. non magis putat unumquemque emundando se à peccatis, posse fieri vas in honorem ex vase contumelie, quamuis contra ex vase honoris potest fieri vas contumelie, si à iustificatione excidat. Accedit, quod frustra electo diceretur illud Apocalyp. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*: nam si nullus ita haberet in manu sua, vt potest amittere, recte responderet, depositam esse in manu Dei, de qua nec vllus alius rapere, nec ipse electus amittere potest. Si enim Deus habet clauem, & ita claudit, vt nemo aperire possit: & aperit, vt nemo claudere valeat; certe ita electis clausa erit ianua inferni, & aperta regni celorum, vt nec in manu eorum sit aperta sibi claudere, & clausam aperire: quare non erit ipsis liberum, clausam ianuis in infernum introire: contra vero aperto ostio regni celorum, nemo impedit illos, si velint ingredi, quacunque ratione in hac vita degerint.

Respondenti aliqui ex sententia Aug. cap. 17. de *Beatis* *corrupt. & grat. Scripturam sic loqui, non quod electorum corona possit amitti, sed, vt homo liber timore. Verum neque hæc est sententia Aug. nec potest*

89
Explicatur
vna dng.

90

1 ad Cor. 9.

88.

Augustinus

91

posset quisquam de se timere id, quod fore, scit impossibile, & in sua nullo modo positum facultate. Augustinus ergo eo loco solum docet certum esse numerum prædestinatorum, etiam si ipsis quoque illud dicatur, *Tene quod habes, &c.* imo ex hoc loco probat esse certum numerum prædestinatorum in vniuersum, scilicet millenarium, vel alium, nec vltra inde ascensurum: quia nisi vnus amittat coronam, alius subrogandus non est. Subdit autem hæc verba. *Quod autem etiam perseueraturia sanctis sic ista dicantur, quasi eos perseueraturos habeatur incertum, non aliter hoc autem debent, quibus expedit non alium sapere, sed timere. Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuunt, in numero prædestinatorum se esse præsumat? quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per Satana Angelum, ne extolleretur, tantum colaphizatur Apostolus. Numerus autem prædestinatorum solum certus est in præscientia: nam certitudo non ipsis rebus, sed earum cognitioni, & scientiæ conuenit, vt disp. 68. cap. 5, notatum est: præscientia vero supponit iam reum euentum ex nostra libertate futurum. Quare illa certitudo ex nostra libertate, & in finitate diuini intellectus procedit: & quia ille, quem certo scit Deus perseueraturum, adhuc in sua potestate habet non perseuerare, quandoquidem certitudo illa præfixa non antecedit, sed supponit potius libertatem illius, ideo recte ipsi dicitur; *Tene quod habes*, quia ab illo excidere potest, & quisque prædestinatus, cui etiam expedit non alium sapere, audire debet libenter vocem illam; *Tene quod habes*. Idcirco Paulus certus quidem de sua prædestinatione, cum adhuc videret salutem suam in sua ipsius libertate positam esse 1. ad Corinth. 9. dicebat: *Castigabo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*: particula, *Forse*, indicat libertatem, qua poterat labi, & reprobos effici. Ideo, ne id, quod efficere poterat, sequeretur, castigabat corpus suum. Nam certitudo huius salutis non erat ante eius consensum, sed post illum præfixa: & ideo in eius potestate manebat. Hæc etiam de causa, ne alium saperet, cum posset, colaphizabatur à Satana vt Augustinus notauit: nomen vero, *reprobus* eo loco siue significet exclusum à regno Dei, quo pacto Scholastici hæc voce vitur: siue idem denotet, quod *improbis*, & vitiosus, eodem modo rationi nostræ deseruit. Sic enim Paulus electus erat ad regnum cælorum ante merita; & peccato proprio nostræ deseruit. non poterat, etiam propria voluntate vsque in finem non poterat improbus fieri. At si corona præfixa est sine nostra libertate, sed omnino ante illam ex solo Deo, non est quod aliquis timere possit illam amittere, cum de manu Dei rapere nulli alteri liberum sit, nec ipsi prædestinato eam perdere: & hætenus de priori quod probandum proposuimus.*

Deinde ostendendum est ex illo decreto talem necessitatem ab extrinseco imponi libertati nostræ, vt omnino liberum non maneat ijs, qui electi sunt, non consequi coronam: ac proinde libertatem eorum lædi, & impediri. Non contendo probare ex illa decreti suppositione sequi necessitatem singulorum operum; nam quantumuis necessarium esset alicui perseuerare in gratia, posset in varijs operibus bonis pro libertate se exercere: sicut Christus, cui non erat liberum peccare, poterat pro voluntate hæc, aut illa opera facere, sed

Vasquez in 1. part. Tomo 1.

contendo, ita saltem necessarium esse hominibus electis gloriam consequi, & non damnari, vt nulla ad oppositum ipsis maneat libertas. Quare si necessarium etiam est ad hoc, vt quis assequatur beatitudinem in gratia perseuerare, & non absque peccato mortali, quia ita à Deo statutum est, non erit liberum electis non perseuerare; aut, etiam si moriantur in peccatis, consequi poterunt beatitudinem: quorum vtrumque absurdum est. Supponenda autem in primis est doctrina VValdantis, quam attuli supra disput. 68. cap. 1. nempe non solum esse errorem manifestum, concedere in nobis necessitatem absolutam, vt saluemur, vel operemur, sed etiam necessitatem, quam ille vocat respectiuam, hoc est, ex suppositione, quæ tollat libertatem, ex tali ergo electione ante opera, eam oriri necessitatem, quæ nostram tollat libertatem, probatur. Nam posito tali decreto, vel potest homo non perseuerare in gratia, & damnari, vel non potest: si non potest, fit, vt in eo non maneat indifferentia ad vtramque partem, ac proinde nec libertas: hæc enim nihil aliud est, quam indifferentia ad vtrumuis & cum impossibilitate, & implicatione contradictionis ad alteram partem manere non potest, sic enim facultas libera, expedita ad vtrumque non est, sed ad vnam partem necessario determinata & alligata, si vero adhuc potest non perseuerare, & damnari, ponatur in re. Nam si id, quod possibile est, ponatur esse, nullum sequitur impossibile, teste Arist. 1. lib. priorum ca. 12. quod si ex alicuius positione impossibile sequitur, illud non est possibile. Ponamus ergo, aliquem electum non consequi gloriam; sequitur decretum efficacæ Dei irritum fieri; at hoc est impossibile: ergo & antecedens.

Varie conatur aduersarij respondere huic argumento, sed nullo modo vim illius labefactare possunt. Primo respondent aliqui, posito illo decreto, hominem quidem sponte saluari, sed non libere ad vtrumuis. Verum doctrina hæc nullatatione defendi potest. Nam hæreticum Caluino, ita dicunt ex Dei præscientia, & voluntate arbitrio nostro necessitatem imponi, vt licet auferatur libertas, & indifferentia ad vtrumuis maneat nihilominus spontaneum, quod etiam ex sententia Aristotelis 3. Ethic. c. 1. in brutis reperitur, ex eo nimirum, quod operatio fit ab intrinseco principio cognitionis: at sicut in singulis operibus, non satis est concedere spontaneum: sed opus est etiam asserere libertatem: sic etiam in perseuerantia, & consecutione beatitudinis id non sufficit, sed opus est asserere libertatem: alioqui ex præfinitione lædetur nostra libertas, licet spontaneum integrum maneat, & à brutis hæc ex parte non discernemur.

Secundo respondent alij, suppositione facta decreti Dei, & diuinæ electionis, imponi necessitatem nostræ voluntati, vt iam non possit in partem oppositam, ex se tamen & sua virtute liberam esse, nec in modo operandi ab intrinseco quidquam in ea mutari: quia impedimentum extrinsecum est, nec Physice in voluntatem nostram infuit, putat enim solo impedimento extrinsece posito, quale fuit in Christo præceptum moriendi, non tolli vilo modo libertatem, sed solo impedimento Physice influente, & determinante voluntatem nostram. At hæc solutio friuola est, nam licet voluntas nostra ex se & ex suo modo

Zz operandi

Efficaci argumento probatur præfinitio absolutam dandi gloriam tollere libertatem.

Argumentum propositum eludere conatur aduersarij. Prima sententia refellitur.

Aristoteles.

Secunda responsio.

operandi alioquin libera esset, si tamen posito decreto Dei, quantumvis extrinsece illud apponatur, nec Physice influat, indiscriminatim facere nequit, aut inclinari in vtramvis partem, nullo modo hic, & nunc indifferens manet: ergo nec libera: ac proinde decretum Dei nostram lædet, & impedit libertatem, quod est absurdum. Quid enim aliud est libertas, quam indifferentia ad vtramvis partem? Si ergo nunc non manet indifferentia, non manebit libertas; siue mutetur intrinsece modus operandi, siue extrinsece tantum aliquid apponatur, quo posito indifferentia non maneat: qua verò ratione in Christo cum præcepto moriendi manserit libertas in obseruatione illius & ratio meriti dicemus 3. p. q. 18.

*Tertia
responsio.*

Tertio respondent nonnulli, non alia ratione imponi nostræ voluntati necessitatem ex decreto Dei, quam ex scientia illius. Sicut enim supposito, quod Deus nouit Petrum peccaturum, non poterit non peccare, ei tamen simpliciter non tollitur libertas ad non peccandum, quare simpliciter ita peccabit; vt possit non peccare: sic supposita electione Dei non poterit homo damnari, & non consequi gloriam, & tamen simpliciter ita libere illam consequitur, vt possit amittere, eo quod necessitas ex suppositione libertatem simpliciter non tollit, nec minuit. Hæc tamen solutio ex doctrina Anselmi, quam adduximus disput. 68. c. 4. & 5. manifeste refellitur. Nam vt ipse docet opus. de concord. liberi arbitrij, & prædestin. c. 1. alia est necessitas præcedens, alia vero sequens, præcedens est, quæ nostram præuenit libertatem, hoc est, quæ nascitur ex aliquo, quod ita nostram præcedit libertatem, vt illud poni, aut non poni, non pendeat ex nobis: veluti quod crastina die Sol oriatur, vel quid simile. Sequens vero est illa, quæ sequitur libertatem nostram, hoc est, quæ suppositione facta eius, quod ex nostra libertate futurum est, necessario infertur. Priori quidem ait tolli nostram libertatem: nam si aliquid nobis ita imponit necessitatem volendi vnam partem, vt oppositum velle non possimus, & illud præuenit nostrum consensum & libertatem, neque ex nostra libertate fore supponitur, sequitur cum ea necessitate, quia prior est nostram libertatem non constare. Nam qui fieri potest, vt aliquid mihi adueniat sine meo consensu, atque eo posito necessario in vnam partem inclinè, & nihilominus libertas mihi illæsa seruetur? Necessitas vero sequens ex sententia Anselmi libertatem non tollit, nec minuit, eo quod omnis suppositio, quam talis consequitur necessitas, posterior est libertate, imo ex illa pendet. Talis est necessitas, quæ sequitur scientiam Dei: hæc enim posita ponimus etiam rem esse futuram: res autem futura est ex nostra libertate. Idcirco suppositio subest libertati nostræ, ac proinde necessitas, quæ inde nascitur, cum sit posterior, illæsam eam seruetur, vt eo loco ostendimus.

*Impugnatur
Anselm.*

*Necessitas
duplex, alia
præcedens,
alia sequens
ex Anselm.*

94

*Præcedens
tollit libertatem.*

*Necessitas
sequens non
tollit.*

Iam vero in difficultate proposita suppositio electionis Dei ante merita præuisa, est prior omni nostra libertate, nec villo modo ex illa pendens. Quare si ex tali suppositione oritur necessitas, vt probatum manet, libertas nostra omnino impediatur. Id quod non modo ex doctrina Anselmi, verum etiam ex ratione proxime facta manifeste deducitur. Nos autem ita tueri debemus libertatem contra omne genus necessitatis, vt vere liberi

maneamus ad perseverandum, & non perseverandum, ad consequendam beatitudinem, & amittendam. Nec satis est asserere, alioqui nos libere perseveraturos, nisi illa suppositio fieret: sunt enim hæretici, qui cum Melancthone voluntati ex se libertatem concedunt: asserunt tamen ex Dei scientia, aut decreto haudquaquam liberam manere, vt eo loco retulimus, & contra hos etiam quacumque suppositione facta, vera in nobis libertas defendi debet.

Sed pergit aduersarij, & vt omnino vim argumenti effugiant, doctrinam Anselmi veram esse fatentur, videlicet necessitate antecedenti nostram libertatem impediui, non autem sequenti: ceterum ex suppositione illa electionis ad gloriam non inferri nostræ voluntati necessitatem præcedentem, sed sequentem, qualis est illa, quæ sequitur suppositionem scientiæ Dei. Nam licet non præcelleret scientia meritorum absoluta, præcellit tamen conditionalis, qua Deus sub conditione vidit, si hunc hominem præueniret tali, & tali vocatione, vsque ad finem vitæ libere perseverabit. Cum ergo hæc cognita libertate statuit absolute, huic homini dare beatitudinem, non tollit ei indifferentiam voluntatis. quam non erat sub conditione, sed eam supponit: eo quod necessitas huius decreti posterior sit libertate ipsius voluntatis. Nihil igitur obstat, quo minus Deus post hoc decretum præparet varias vocationes, quibus homo libere in finem vitæ perfecteretur, & libere gloriam consequatur. Hæc scientia condicionali, quam Deus habet, ad mille difficultates explicandas nonnulli Theologi abutantur, quæ si recte expendatur, in præsentia difficultate nihil momenti habet, sed perinde est ad saluandam nostram libertatem, ac si nihil Deus sub conditione cognouisset. Primum enim Deum prius sub conditione cognouisse meam perseverantiam hæc, & hæc vocatione, non impedit, quo minus electio illa absoluta ad gloriam præcedat meum consensum absolutum, neque villo modo in mea fuerit potestate, sicut est scientia Dei iuxta ea, quæ diximus, disput. 68. cap. 6. & 7. Si ergo non fuit in mea potestate, & ex illa mihi necessitas oritur, non relinquet in me libertatem. Nam tamen prius nouerit Deus sub conditione in me libertatem ad perseverandum; absoluta tamen perseverantia necessaria erit. Suppositio enim illa electionis absoluta, facta non fuit ex eo, quod præuisa fuit sub conditione mea libertas, vt omnes concedere debent: alioqui & reprobi etiam eligerentur: quoniam quilibet eorum sub conditione cognoscitur alias perseveraturus, si tali vocatione præueniretur. Tum etiam, quia sicut vixi spero, merita sub conditione præuisa, quæ reuera absolute futura non erant, non poterunt Deo esse causa, aut damnanandi aliquem, aut negandi ei gratiam, aut similiter conferendi ei gloriam, seu gloriam: & ideo prædicti Patres talia merita appellat conficta merita: cum ergo in illo priori, quo Deus decreuit dare gloriam iuxta opinionem priorem, non prævidisset merita, absolute futura, sed tantum sub conditione, non potest dici Deum præfuisse gloriam ex meritis illis sub conditione futuris: quia hæc ratione conficta merita sunt, vt aliquid intuitu illorum conficitur: cum post decretum dandi gloriam nihilominus

minus possit absolute non fore, & in illo priori absolute futura non sint; decretum autem beandi sit absolutum, & beatitudinem absolute conferendum suo tempore respiciat. Adde quod cum decernitur, aliquid dari ex meritis, vel intuitu meritorum, talis voluntas est gratitudinis, & retributionis: quis autem, stultus etiam, statuet ex gratitudine retribuere propter merita nondum absolute futura, sed sub conditione: de quo inferius cap. 11. plura dicemus: electio igitur nullo modo in mea fuit libertate, sed citra meum consensum definita.

Deinde, vt in ordine absoluto eadem libertas ferretur, quæ erat in ordine illo sub conditione, oportebat, eandem seriem in omnibus constitui: aduersarij autem in prædicta solutione vno modo constituant ordinem sub conditione, alio vero absolute: quare mirum non est, si in eo, qui est sub conditione, libertas inueniatur, in absoluto autem esse nequeat. In conditionali ita supponunt, si Petrus vocaretur hac, & illa vocatione per singulas occasiones vsque ad finem vitæ libere perseveraret, & libere beatitudinem consequeretur. Et quidem si aliud decretum sub conditione non addant, libertas sub conditione hoc modo recte defenditur sola præfinitione gratiæ præuenientis, & comitantis. Sed si adderent decretum electionis ad gloriam ante præfinitam libertatem sub conditione hoc pacto: si Deus decreuisset ante omnia hominem beare, & deinde præuenire hac, & illa vocatione vsque in finem, certe nullus diceret, hunc hominem liberum mansurum, quia tunc supponeretur decretum electionis ante omnem scientiam etiam conditionalem meritorum, & operum: vel ergo in ordine absoluto non supponant decretum dandi gloriam ante opera absolute futura, vt in eo libera maneat voluntas, & ita idem omnino sit ordo sub conditione, & absolute; vel, si in absoluto addunt decretum illud ante opera absolute futura, addant etiam in conditione ante opera sub conditione futura: quod si in conditionali adderetur, & in eo libertas perseverandi tolleretur sub conditione, fit, vt in absoluto, si tale decretum ponatur, absoluta libertas impediatur.

CAPVT XI.

Eadem opinio ex virtute, & efficacia meritorum monstratur.

Altera ratio à posteriori contra priorem opinionem hoc inferre contendit, quod in electis merita nihil profus operentur ad consequendum gloriam: nam si Deus non habens rationem meritorum non ex gratitudine, sed ex sola sua gratuita liberalitate, & misericordia decreuit ab æterno Petrum tali tempore beare, etiam si ille postea merita habeat, non tamen retribuere Deus gloriam in tempore intuitu eorum, sed gratis & ex misericordia, sicut decreuit. Imo quamuis merita non inueniant, nihilominus gloriam dabit.

Quemadmodum si Rex aliquis semel apud se decreuit eligere Petrum in consiliarium, non ex meritis ipsius, quia sit doctus, vel prudens, nec has dotes animi aspiciens, nec ex gratitudine, sed sola sua voluntate gratuita & misericordii constituit, illum eligere, licet postea cognoscat esse doctum, & prudentem, & merita habuisse: ex vita-

Valquez in 1. part Tomus I.

men prioris decreti eum eliger non ex meritis ipsius, sed quia ita placet. Et rursus quamuis ipsum ignarum, & stolidum esse comperiat, nihilominus ex vi prioris decreti eum eliget, aut necesse est, vt voluntatem mutet: eo quod in sua priori definitione nullum meritum respexerit, ratione cuius eum vellet eligere. Nam cum homo non respicit aliquod meritum, quando aliquid dare decernit, ratione cuius id tribuat, sed sola sua voluntate liberali & misericordii mouetur, vt beneficiat alicui, profecto gratuita sua voluntate illud dare definit, ac proinde gratis omnino, non ex gratitudine, postea donabit, nisi propositum mutet. Si ergo Deus prius apud se statuit, dare gloriam non intuitu & ratione meritorum, sequitur sola sua benignitate, vt beneficeret, non ex gratitudine, eam decreuisse: cumque decretum Dei semel positum mutari nequeat, efficitur vt ex vi illius in tempore conferat beatitudinem electis omnino gratis, non ex gratitudine, nec intuitu meritorum, quamuis ipsi plura merita habeant: imo vero etiam si plura commiserint peccata, siquidem decretum dei omnino ex liberalitate & gratuito fuit, vt probatum est: merita igitur nihil omnino pertinent ad beatitudinem consequendam: quod est maxime absurdum contra Scripturæ testimonia adeo manifesta, & perua, vt ea in medium adducere superuacuum sit. Ac proinde verum erit id, quod Faustus citatus à nobis c. 1. dixit, iam nos non nasci iudicandos, sed iudicatos, cum merita nostra nihil omnino ad beatitudinem conferant, nec impediant peccata: quamuis hic auctor in alio sensu, & absque ratione contra August. ita loquatur, vt videbimus disp. 91. cap. 17.

Argumentum hoc male etiam torquet aduersarios, atque dum varijs modis se expedire conantur, pluribus se difficultatibus implicant. Primo respondent prius illud decretum non fuisse gratis, neque ex meritis, vnde non sequitur, beatitudinem à Deo præfinitam gratis donari. Verum nemo est, qui ignoret, voluntatem dandi aliquid, & benefaciendi, aut esse ex meritis, si non æqualibus, saltem minoribus; quo in casu donatio dicitur ob causam, vel antidotalis, & remunerationis ex gratitudine: aut voluntatem dandi non esse intuitu & ratione alicuius meriti, aut accepti; sed ex sola benignitate donantis, & tunc esse omnino gratuitam, & liberalem, seu misericordem: si ergo Deus absque respectu alicuius gratitudinis sola sua benignitate liberali & misericordii homines beare decreuisset, voluntas illa fuisset omnino liberalis, & gratuita: atque siue hoc, siue illo modo nuncupetur, si ab æterno fuisset non ratione meritorum absolute futurorum, hoc eodem modo in tempore effectum haberet, siquidem voluntas Dei non variatur, quia etiam si nulla merita essent in tempore, maneret semper idem motuum, quo Deus ab æterno decreuisset beare homines: quod quidem esset misericordii solum, & liberalitatis, manente autem motiuo alicuius affectus, manet idem affectus, exclusis quibuscumque alijs, quæ non pertinent ad motiuum: tunc autem maneret motiuum misericordii, quod est misericordii accipientis, & motiuum liberalitatis, quod est misericordii donantis.

Respondent secundo posse quidem voluntatem Dei ordine intentionis in æternitate esse absolutam à meritis, hoc est, non ratione merito-

Faus.

99 Prima aduersariorum Responsio.

Occurritur.

Secunda aduersariorum responsio.



rum : sed beatitudinem executioni mandari per merita, quæ etiam ratione defendunt Christum Dominum ab æterno fuisse prædestinatum non præiis meritis Patrum; in tempore tamen eius incarnationem executioni fuisse mandatam per merita eorum. Et in humanis id accidit: nam ordine intentionis prius decernimus conse qui finem, deinde consultamus de medijs: at executio fit per media, & ipsa reuera conducunt ad finis consequutionem. Quamvis ergo Deus prius intentione decreverit dare Petro gloriam, & postea dare merita, vt eam consequatur; poterunt tamen ipsa merita in executione ad beatitudinem consequendam conferre.

Verum huic solutioni obstat manifesta ratio: nam si Deus ab æterno decreuit omnino gratis, non ex gratitudine, sed ex sola sua liberali, & misericordii voluntate dare aliquid; certe decreuit talem donationem in tempore ex eadem voluntate liberali, & non remuneratoria executioni mandari: voluit ergo esse eam in tempore gratis, sicut ab æterno præfinita fuit. Neque enim voluntas illa fertur ad rem secundum se tantum consideratam; sed prout in tempore futura, & executio ni mandanda est, quod autem decernitur, non ex voluntate gratitudinis, sed liberalitatis, aut misericordii aliquando donandum; decernitur certe donandum abque vllis meritis, quia decretum ad donationem in tempore refertur ex eodem motiuo futuram, ex quo decernitur, nisi prior voluntas mutetur. Si ergo in Deo decretum illud fuit liberalitatis & misericordii, cum mutari, aut impediri non possit, non indigebit meritis, vt habeat effectum, nec opus erit, vt accedat motiuum gratitudinis, vt effectum habeat: siquidem ex se efficax est, quatenus est decretum misericordii & liberalitatis, & omnis efficax voluntas ex solo suo motiuo effectum habet; nisi mutetur, aut impediatur. Quod si adhuc necessaria est alia voluntas gratitudinis, quæ ratione meritorum futurorum conferat vitam æternam; sequitur decretum illud prius, quod fuit ante merita præiis, non fuisse efficax ex se. Porro negare nemo potest in Deo decretum efficax ex gratitudine retribuendi vitam æternam propter merita præiis absolute, etiam si dicat, prius illud decretum ante præiis merita ex misericordia, & liberalitate præcessisse. Præterea nisi esset posterius decretum efficax ex gratitudine, ex vi prioris nemo consequeretur vitam æternam, aut illam sine meritis eodem modo consequeretur, quod est absurdum: ergo prius illud decretum ex se efficax non erat: si enim efficax esset, ex solo suo motiuo, sine nouo decreto effectum haberet: & ita conferretur vita æterna ex vi illius sine meritis. Cum igitur quasi suspensum maneat, donec præuideantur merita absolute futura, & accedat nouum decretum efficax ex gratitudine, efficitur prius illud decretum non fuisse efficax, sed simplicis solum complacentiæ. Et ita in humanis euenit, vt qui prius apud se statuit craftina die Petrum eligere sibi consiliarium, vel donare aliquid non ratione meritorum, quia nulum in eo futurum aut præsens considerauit, sed ex sola sua benignitate, sic etiam postea exequitur, nisi voluntatem mutet. Est autem manifestum discrimen inter media, quæ Physice operantur ad consecutionem finis, vt medicina ad sanitatem; & merita, quæ sunt media moralia, vt ex

parte notauimus disp. 82. cap. 5. & in hac disp. c. 9. nam media, quæ Physice perducunt ad finem, re ipsa operantur; etiam non relata ad voluntatem. Quare licet prius fuerit voluntas sanitaris abque hoc, & illo medio singulari solum cum ordine ad media confuse, tamen deinde cum in executione hoc, aut illud medium applicatur ex electione, quæ est post intentionem, re ipsa medium operatur, & conducit ad finem: media autem moralia, qualia sunt merita, non operantur Physice ad consecutionem finis, sed relata solum ad voluntatem illius, qui vult dare finem, eatenus dicuntur operari, quatenus in vltimo illo finem vt præmium conferre decernit; nec aliter in executione conferunt ad finem, quam relata hoc modo ad voluntatem donantis. Idcirco siquis apud se statuat, dare aliquid ex seipso & gratis, non intuens merita, hoc etiam modo in executione donabit, nisi mutet voluntatem. Quando enim eadem voluntate, qua quis dare decreuit, postea donat, eadem causa, & ratione ad donandum adducitur, qua apud se constituit, & decreuit donare. Ex quo etiam principio probabitur, p. q. 2. art. 11. incarnationem Christi non fuisse in tempore factam ex meritis Sanctorum, si illa fuit prius absolute, & sine meritis eorum præfinita. Quamobrem qui aliquid in tempore dar ex meritis tantum præmium, non potest non cum apud se decernit donare, rationem meritorum habere: atque semper hoc modo procedit, vt licet omnibus vel aliquibus ardentem desideret, præmium illud tamen nemini dare efficaciter velit, nisi habeat merita: imo prius præuidet tale, & tantum meritum, quale & quantum præmium requirit; quam præmium determinate dare definit. Contra verum, cum quis vult aliquem finem, quem per Physica media consecutus est, prius decernit apud se finem consequi, & confuse media applicare, deinde hoc vel illud medium eligit, & licet singulare medium non impulerit voluntatem ad volendum finem, sed finis ad volendum medium; tamen re ipsa medium confert ad finis consecutionem; quia vile est secundum realem, & Physicam operationem, nec vt motiuum ad voluntatem refertur. Quocirca si Deus decerneret efficaciter prius mittere Christum, quam præuidere merita Sanctorum, cum præfinitet venturum re ipsa, & in executione: iam ad illius aduentum in executione merita Sanctorum nihil conferrent, quia si in intentione non habuissent rationem motiui, in executione etiam non haberent, nisi esset noua voluntas, horum enim meritorum efficacitas alia non est, quam mouere voluntatem ad aliquid. Adde etiam, quod iuxta oppositam sententiam, quæ concedit vitam æternam ante præiis merita ex liberalitate, necessario fateri debemus aliam voluntatem efficacem dandi vitam æternam ex gratitudine, nempe ex præiis meritis, tantum præmium; aut debemus dicere, mutari priorem, quæ erat ex liberalitate, in aliam ex gratitudine, quod est absurdum. Quoniam negare non possumus, Deum velle iustus dare vitam æternam ex gratitudine propter merita: ergo aut hæc est noua voluntas distincta à priori, aut prior mutata fuit: vtrumque autem videtur falsum. Prius quidem superfluum, quia frustra ponitur in Deo duplex illa voluntas: posterius autem est absurdum.

Efficax argumentum contra illam

dum, quia voluntas Dei mutari nequit. Porro autem frustra esse priorem illam voluntatem efficacem liberalitatis, & misericordiae, si nunquam effectum est habitura ex se, & ex suo tantum motivo, manifestum est: sufficit ergo tribuere Deo voluntatem inefficacem circa finem, quae praecedat prauiſionem meritorum.

Tertio respondent alij, Deum in primo illo signo rationis, quo decreuit dare vitam aeternam, id statuisse non ex praescientia meritorum, sed non sine illis. Hanc doctrinam colligunt ex *Calet. 3. p. 9. l. ar. 3.* ubi docet, Christum fuisse praedestinatum ante prauiſionem peccati, & remedium illius, sed non sine illo, hoc est, prius causalitate, non prius conuertendi consequentia. Ex quo infert ipse *Calet.* alioqui Christum non venturum, si peccatum non fuisset, etiamsi prius causalitate fuerit praefixit. In cuius explicationem notat, aliquid posse esse prius alio causalitate, & non conuertendi consequentia: tunc autem erit simul cum illo conuertendi consequentia, sed prius causalitate: veluti luminoso prius est causalitate ipsa illuminatione, sed simul est consequentia, quia ex vno aliud recte colligitur, & contra. Recte enim sequitur, *Est luminosum: ergo illuminat. & illuminat: ergo est luminosum*: prius namque consequentia illud est, a quo non valet conuersio: sic animal est prius homine; quia recte sequitur, *Est homo, ergo est animal*; sed non reciprocatur. Virumque genus prioris, & posterioris assignauit *Aristoteles in predicamentis cap. de modis prioris*. Itaque dicunt recentiores Theologi gloriam praefixitam esse prius causalitate per modum finis, sed simul conuersione cum meritis: quia ex vno aliud recte colligitur, & contra.

Verum qua ratione *Caeterani* doctrina locum non habet in Christi praedestinatione, in praesenti etiam nullum obuiere potest. Nam illa doctrina solum est vera, quando causa, quae praefinitur, & effectus illius, aut medium mutua necessitate conuertiuntur. Tunc enim licet causa prius causalitate praefinitur, tamen conuersione simul est cum effectu, & ita nunquam sine illo. At vero quoties effectus, aut medium non habet necessariam connexionem cum causa, aut sine, sed causa, aut finis sine illo potest esse; tunc cum prioritate causalitatis, est etiam prioritas conuersionis; neque effectus, aut medium cum sine conuertitur. Veluti si finis per plura media, & multis modis possit haberi, nullum illorum mediorum determinate est simul consequentia cum sine, & quodlibet est posterioris causalitate. Si vero esset vnicum medium, doctrina *Caeterani* omnino quadret. Cum igitur beatitudo, quae prius causalitate praefinita est, vt aduersarij contendunt, non solum possit dari per merita, sed alia etiam via, mera scilicet voluntate Dei: efficitur, vt merita non connectantur necessario cum illa, & ita non sint simul cum ea causalitate, nec conuersione; nisi dicamus Deum ex illis dare decreuisse, aut per illa, quod idem est, vt respectu voluntatis dandi gloriam, aliquam haberent rationem per modum cause, & motiui: tunc autem prius esset eorum praescientia, quam voluntas dandi gloriam. Denique ratione superius facta optime ostenditur, cum voluntate illa absoluta dandi aliquid, quae non fuit intuitu, & ratione meritorum, nullam omnino nec necessariam, nec voluntariam

Vasquez in 1. part. Tomus I.

connexionem merita habere: quare sine illis eodem modo effectum habituram, vt supra demonstratum est.

Quod si aliquis iterum dicat, potuisse Deum ab aeterno apud se statueri ante prauiſam cooperationem arbitrij Petrum beare per merita, non determinando haec, aut illa; deinde applicate illi gratias congruas per varias occasiones, quibus libere haberet merita: sequitur ex hoc modo dicendi, esse quidem homini liberum, habere haec, aut illa merita: at vero non esse in eius libertate, non habere merita, & non consequi gloriam, quod etiam absurdum est: quia ex tali decreto nascitur necessitas antecedens, quae tollit nostram libertatem, vt superiori cap. monstratum est.

Ex dictis infertur, non minus infirmum esse responsum aliorum, qui docent, etiamsi ex natura rei necessario non connectatur beatitudo cum meritis, potuisse tamen Deum alligare suam voluntatem dandi gloriam huic potius medio, quam alteri. Veluti cum quis vult ire Toletum, etiamsi possit ire in curru, aut in equo, vel in lectica, potest nihilominus voluntatem suam alligare huic medio, vt non nisi in lectica velit ire. Horum igitur responsum non minus facile refutatur.

Primum, quoniam cum aliquis non vult ire Toletum nisi tali modo, nunquam prius decreuit absolute ire. Si enim decreuisset, ex vi illius decreti hoc, aut alio modo iret, nec suam voluntatem huic medio potius, quam alteri alligaret, nisi mutaret propositum ob aliquam difficultatem, vel incommoditatem, quam prius non considerat. Quare cum absolutum decretum finis ad vnum medium postea ipse adstringeret, aliquo modo illud mutaret. Cum vero ab initio omnia bene considerauit, & in hoc, & illo medio vidit incommodum aliquod, quod suam deterrerat voluntatem a finis consequitione, prius quidem quam eodem medium inueniret, nunquam decreuit determinate, & efficaciter ire Toletum, donec tale medium occurrit, sed ante solum finis in eo simplex affectus, quo velle ire, nisi difficultates, & incommoda essent. Tunc vero cum iam idoneo medio adiuuente decernit efficaciter ire Toletum, certe vnicum est illud medium relatum ad finem tali modo volitum, nempe sine incommoditate, & difficultate. Quocirca non mirum, si illa voluntas finis alligetur vni medio, & cum illo sit simul conuersione, & consequentia, vt nunquam sine illo sit finis futurus: at sic non potuit certe contingere Deo, qui ab aeterno bene omnia considerauit, ac proinde absolutam voluntatem dandi gloriam, quam varijs modis etiam sine meritis dare posset, non potuit postea meritis alligare. Sed

quia, vt nostra opinio fert, non prius decreuit absolute dare gloriam, sed semper voluit vt premium illam proponeret, & hoc modo vnicum erat medium, scilicet merita, etiamsi omnibus simpliciter affectu illam desideraret, nunquam determinate illam voluit dare, nisi habenti merita, nec tantam gloriam, nisi habenti tot, aut tanta merita. Sicque merita in consideratione Dei, qua voluit dare gloriam, fuerunt vnicum medium, ac proinde non nisi ipsius prauiſis eam praefixiuit. Commoditas enim vnici medij redundat in ipsam rationem finis, quando ille non est absolute ratione sui bonitatis volitus, sed tali modo, & commoditate. Quae regula locum habet etiam, cum me-

Z z 3

dia

Tertio re-
sp. ubi ex
doctrina
Calet.

103

Arist.

Refutatur.

Doctrina
nisi de

104

Quarta re-
sp. ubi

105

Rejicitur
priori qua-
dam ratione.

106

dia sunt Physica, vt explicatum est, quanto magis cum sunt moralia, qualia sunt merita, quæ alia ratione superius explicata referuntur ad voluntatem, vt ratio mouens.

Deinde Deum non posse suam voluntatem vni medio adstringere, cum sint plura media ad finem, quem ipse constituit, peculiari ratione probatur deducta ex ijs, quæ diximus disp. 82. cap. 6. quoniam nemo negabit, posse Deum suam voluntatem liberam, & indifferentem relinquere ad hoc, vel illud medium, si plura sint. Dæmus ergo, nunc ita esse, vt pluribus medijs stantibus liber & indifferentem maneat voluntatem vni medio, oportet vt suam alligat voluntatem vni medio, oportet vt variationem aliquam esse, aut in ipso Deo, aut in rebus: nam vt cap. illo 6. notauimus, si res eodem modo se habent, & Deus in se eodem modo perseverat, dicere non possumus Deum alio, & alio modo res velle, & ordinare. At in Deo esse non potest variatio, sed in se eodem modo nunc est ab æterno, quo esset, si alio modo voluisset: debebat igitur esse variatio in rebus ipsis: sed in his nulla est, si idem manet finis, & eadem plura media: aut ostendant, quæ variatio esset in rebus: superest ergo, vt semper eodem modo Deus velit, & non nisi eodem modo velle possit finem per media, nempe indifferentem ad plura media, si plura sunt, & finem prius decreuit, aut determinate per vnum, quando vnum tantum est.

Resicitur al-
tera ratione
efficaci.

107

Vltimum ad
uerfarioum
effugium.

Conc. Trid.

Ad Phil. 2.

Resicitur.

108

Titulus gra-
tuitus, &
onerofus in-
ter se pu-
gnant.

Explicatur
verba Con-
tridentini.

Vltimo aliquis posset dicere argumento proposito, eandem rem dari posse duobus titulis, & gratuito, & oneroso, & ita vitam æternam dari nobis gratuita voluntate, qua Deus ante merita præuita illam præfinit, & ratione meritorum, quæ Deus ad illam consequendam voluit conferre. Qua de causa Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 16. asserit vitam æternam iustis proponendam esse, & tanquam Dei gratiam per Iesum Christum misericorditer promissam, & tanquam mercedem fideliter reddendam. Et Christus dominus gloriam sui corporis duplici titulo assequutus est, tum propter vnionem hypostaticam, cui iure debebatur: tum etiam propter merita, iuxta illud ad Philip. 2. Propter quod & Deus exaltauit illum, &c.

Verum neque hoc pacto satisfit nostro argumento, quia etiam si duobus titulis onerosis res eadem posset dari, sicut quidam dicunt exaltationem corporis Christo fuisse duplici illo titulo concessam; tamen titulus gratuitus, & onerosus omnino secum pugnant. Gratuitus enim ille est, qui nullum meritum in eo supponit, cui res donatur, sed fieri non potest, vt idem homo mereatur eandem rem, atque meritis eam obtineat, & sine meritis: ergo simul non potest eadem res titulo gratuito, & oneroso ipsi donari, & quidem in humanis nihil tale reperies.

Quod vèro adducitur ex Conc. Trid. longe aliter intelligendum est, sicut explicauimus supra cap. 8. nimirum ideo gloriam appellari gratiam, quia merita ad illam gratis conferuntur, propter quod gloria dicitur gratia pro gratia, siue gratia in radice: non quia illa secundum se gratis donetur absque alicuius respectu, cum nunquam nisi ex meritis conferatur: & manifeste erraret, qui diceret in executione ipsa gloriam dari titulo omnino gratuito, & oneroso simul, cum reuera non nisi propter merita detur, vt passim Scriptura clamat:

& quamuis, vt notauit Fulgentius lib. illo 1. ad Monachum cap. 10. non solum vita æterna dicatur gratia, quia datur pro alia gratia, scilicet pro meritis ex gratia Christi profectis, sed quia exuberat retributio; id tamen non est intelligendum, quia gloria sine meritis detur, aut sine illis fuerit præfinita, sed quia, aut, vt nonnulli etiam recentiores putant, datur aliquid beatis ultra condignitatem meritorum, id quod nunquam sine meritis præfinitum fuit, aut quia licet gloria non excedat condignitatem meriti secundum virtutem, & potentiam; excedit tamen in eo, quod formaliter in meritis est ad hunc sensum, quia momentaneo redditur æternum, & pro paruo labore magna delectatio, & quies. Quem sensum indicare videtur Fulgentius adducens illud 2. ad Corinth. 4. Quod momentaneum est, & leue, &c. quæ duo examinanda nobis sunt 1. 2. q. 114. artic. 3. Nunc vero nobis sufficiat dixisse, etiam si aliquid gloriæ detur ultra condignum, illud non fuisse præfinitum sine alio, quod sine meritis conferendum erat, vt manifestum est.

Adde, quod eadem merces duobus debitis æque retribui non potest, sed vtrique simultantum vni debito æquali. Hoc in debitis iustitiam manifestum est: vna enim solutione non potest duobus in solidum fieri satis. Eadem proportione videtur dicendum in materia meritorum, & retributionis, vt id, quod reuera datur ratione meriti, æqualiter, & condigne non donetur, quia alio modo condigne debitum erat: & ita Christo fuisse concessam exaltationem sui corporis ratione laboris, quæ nihilominus videbatur condigne postulari ab vnione, vt alioquin Deus illum non daret, nisi pateretur: loquor autem ex vi decreti, qua in carne passibili prædestinatus est in re medium peccati: nam de alio modo, quo potuit venire, & prædestinari sermo non est. Ideo ipse Christus Luc. 24. dixit ad duos discipulos. Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Quod si alioquin gloriam consequentum erat, non oportebat ipsum ita intrare, nam alio modo introiret.

Hoc modo loquitur Cyrillus in 5. Dialogo de Trinitate ante medium illius, vbi respondens Heremæ interrogatori inquit: Dicam non curans, etiam si nunc minus decorum videatur, quandoquidem necessarium hominum lapsibus, & nostris peccatis erat, vnigenitum patris. Maximam gratiam habere ipse: sciat autem quod humanitatis crimina, illi, diuina gloriæ occasio fuerint. Nam si non peccasset, neque factus esset nobis similis, neque sustinisset crucem; & si non mortuus esset, non esset assequutus, vt adoraretur à Sanctis: intelligit, etiam Angelis, de quibus antea loquutus fuerat. Sentit ergo Cyrillus, alioqui Christum non fuisse adorandum, nec illi stectendum genu caelestium, terrestrium, & infernorum, quæ fuit corporis exaltatio, nisi pro nobis passus esset. Quod enim condigne incarnatio postularat hanc carnis exaltationem, & gloriam, non satis est, vt dicamus Deum concessuram eam Christo, etiam si non pateretur, siquidem de facto ita disposuit, vt ea careret, donec pro nobis pateretur, & post passionis meritum illam ipsi concederet. Sed quamuis verum esset, quod alias gloria daretur solo incarnationis titulo, & Deus de facto duobus titulis eam dedisset, nobis satis est, eandem gloriam dari non posse titulo gratuito, & oneroso, vt prædictum est.

Postremo

Postremo denique decretum illud efficax benedicti homines, antequam nostro more intelligentiorum merita absolute futura à Deo prouiderentur, non potuisse ortum habere ex meritis sub conditione praeiudicis, supra ostensum est cap. 10. huius disp. Adde, quod licet dicamus fuisse merita praeiudicis sub conditione, non potuit intuitu illorum Deus ex gratitudine statuere, beare homines. Nam gratitudo, ut ibidem etiam diximus, non potest ueritari tanquam circa materiam, circa merita sub conditione futura: cum hoc nec stultus aliquis homo facere possit. Quis enim decernat retribuere pro ijs meritis, quae sub conditione essent, donec uideat ipsa esse absolute futura? ac proinde sequitur, decretum illud fuisse misericordiae, & liberalitatis, & ita, ut supra diximus, effectum habiturum ex solo motu misericordiae, & liberalitatis, etiam si desit motuum gratitudinis.

CAPVT XII.

Respondetur testimonijs, quae probant electionem ad gloriam factam ante merita.

HActenus ex duabus partibus posterioris sententiae, quas proposuimus cap. 2. huius disp. prior solum confirmata est: posteriorem uero sequenti cap. quantum necesse fuerit, in solutione praecipuae argumenti demonstrabo. Prius tamen ad testimonia omnia pauca in hoc capite respondere oportet; sunt namque facillima, si ea, quae diximus c. 4. recte memoria teneantur. Verum antequam ad praedicta testimonia respondeamus, operapretium erit, mentem S. Thomae, qui pro priori opinione citari solet, explicare. Si ergo uerba huius articuli 4. consideremus, nullum est, quo significet S. Doctor electionem ad beatam vitam factam fuisse ante praedestinationem meritorum: solum enim habet haec uerba. *Unde praedestinatio aliquorum in salutem aeternam praesupponit secundum rationem, quod Deus illorum uelit salutem, ad quod pertinet electio, & dilectio.* nomine autem salutis aeternae non opus est, ut intelligamus beatitudinem alterius uitae, sed intelligere possumus iustificationem, & perseverantiam in gratia, ad quam Deus elegerit quosdam praeter alios, & ad hunc finem praeparauerit singula auxilia per praedestinationem. Nam & ipse S. Tho. in hoc articulo 4. ad primum concedit electionem gratiae, & gloriae; non tamen dicit, electionem gloriae factam fuisse ante praedestinationem, & ante praedestinationem gratiae. Cum autem dicimus Deum elegerit ante praedestinationem homines ad salutem aeternam, hoc est, ad iustificationem, & perseverantiam, non est ita accipiendum, quasi praefinierit eam non prauiiso consensu nostro: quia inde sequeretur, tolli nostram libertatem, ut contra electionem ad gloriam ante merita supra inferebamus: sed quia Deus ante merita, & cooperationem prauiisam quosdam ita praeter alios amauerit, ut in uniuersum decreuerit dare illis omnia auxilia praueuientia congrua, quibus salutem animae, quae est salus aeterna, consequerentur, cooperando talibus auxilijs, sicut ipse Deus sciebat. Deinde praedestinatione decreuerit sigillatim omnia talia auxilia usque ad perseverantiam, ut consequeretur finem, quem in uniuersum sibi praestituit. Ex quo non sequitur uilla necessitas antecedens, quae tollat nostram libertatem: sed solum consequens, quae libertati

non aduersatur, ut patebit ex ijs, quae dicemus disputat. 99.

Iam uero ad omnia Scripturae testimonia adducta cap. 1. respondeo primum, ea de electione gratiae ab omnibus Scripturae expositioribus explicari, nec ullum, praesertim ex Patribus, de electione ad gloriam ea intelligere. Excipio recentiores Scholasticos, qui, ut suam opinionem tueantur, de electione ad gloriam de suo cerebro ea interpretantur. Sed praeter consensum Patrum, & omnium interpretum loca ipsa Scripturae se manifeste exponunt. Nam Paulus locis omnibus citatis quid aliud commendare contendit, quam gratiam, quod ex operibus arbitrij nobis non datur: ut quid ergo de electione ad gloriam, quae non est gratia, sed gratia pro gratia, loqueretur? Hanc enim si commendare uellet, non diceret gratis sine ullis operibus dari, sed nemini concedi, nisi gratia Dei legitime certauerit, & tanquam brauium omnibus proponi. De mente uero Pauli, & quomodo, cum opera excludit à iustificatione, quae Iacobus admittit, cum eo conueniat, satis superque cap. 8. dictum est.

Bene uideo locum illum ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, ut essemus sancti.* fuisse intellectum ab August. de electione ad gloriam in lib. 1. ad Simplic. q. 2. cum tamen alibi plane de electione ad gratiam interpretetur, ut contextus ipse ostendit. Ita ipse de electione ad gratiam exponit lib. de praedest. Sanct. cap. 19. & consentit Hieronym. in eum locum. Colligunt aduersarij hanc electionem factam sine meritis, quia dixit Apostolus, *Ut essemus sancti,* non, *Quia futuri eramus sancti,* & certe si de electione ad gloriam loqueretur, in sententia praedicta, quam docuit Aug. recte diceretur, *Quia futuri eramus sancti ex gratia ipsius,* cum ex meritis electio facta dicitur. Sed & modis communis loquendi id demonstrat: neque enim dicimus, ideo Deus iustificat nos, aut uocat nos, quia daturus est gloriam, sed, ut det gloriam. Si autem prius decreuisset dare gloriam, recte diceremus, *Elegit nos ad gloriam, ut uocaret, & iustificaret,* non quia iusti futuri eramus. Contra uero non diceretur, uocat, & iustificat, ut gloriam tribuat, sed, quia gloriam daturus est: particula enim, *quia,* significat electionem prius factam fuisse absolute: at particula, *ut,* solum certe denotat gloriam esse finem uocationis, & iustificationis, quem proponere sufficit ut praemium, & prius uelle uoluntate simplici, iuxta doctrinam superius traditam. Sed quia Paulus aperte loquitur de electione ad gratiam, recte dicit, *Ut essemus sancti,* non, *Quia futuri eramus sancti.* Quoniam gratia non datur ex meritis arbitrij, etiam futuris, sed ut merita habeamus.

Illud autem ad Roman. 9. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret,* optime explicauit Augustinus quae illa ad Simplic. de electione praemisso examine operum, quam putat ex mente Apostoli non interuenisse, ut gratia conferretur Iacob. Exponit ergo in hunc sensum: cum nondum Iacob, & Esau aliquid boni egissent, aut mali, ut examine praemisso operum, Deus uellet unum iustificare, & alium reijcere, cum inquam nihil ita fecissent; ex uocante dictum est, quia maior seruiet minori: quae sane expositio subtilis est. Posset & de electione ad gratiam absque ullo examine praemisso, hoc modo explicari. Cum duo illi fratres, nondum aliquid boni, & mali fecissent,

III
Quomodo
sua uellet
quae Scri.
proa uoluntate
merita quae de
electione lo.
quuntur.

Ad Eph. 1.
Augustin.

Hieronym.

112

Ad Rom. 9.
Augustin.

113



cient, & operibus vnus præ alio nihil fuisset præmeritus, vt secundum spontaneam gratiæ electionem propositum iustificandi sequeretur, ex vocationis gratia minor prælatu est maiori. Vocatio enim ad iustificationem ordinata est, & eo sine collata, non quod prius Deus decerneret efficaci decreto iustificare, quam vocare; nam iustificare non statuit sine nobis, hoc est, sine nostro consensu; at vocare sine nobis omnino definit: sed quia voluntate simplici prius voluit iustificare: est enim illi huius vocationis simplici solum voluntate voluit, & hæc voluntas propositum Dei vocatur. Ad hoc ergo, vt maneat iustificatio, & effectum habeat, sicut ex se Deus desiderat, ita ex se vocat, & præuenit nos gratia sua congrua. Ex hoc tamen nihil contra nostram sententiam sequitur, nec vllus ex Patribus est, qui hunc locum ita interpretetur, vt asserat, vel electionem ad gloriam efficaciter fuisse præfinitam ante meritum præscientiam, vel propositum efficaciter iustificandi ante nostrum consensum. Frustra ergo recentiores ex suo sensu Scripturam interpretantes suæ sententiæ accommodant, vim solum in verbis facientes, quæ alium optimum sensum habere possunt.

114

Hæc dixerim iuxta sententiam, quæ asserit, ibi Paulum agere de prædestinatione Iacob, & reprobatione Esau. Si vero aliorum sequamur interpretationem, qui dicunt ibi solum loqui Paulum de regno temporali, in quo prælatu fuit Iacob fratri suo Esau, alius erit sensus, sed nihil huic præfenti nostræ sententiæ nocebit, de quo infra disput. 95, c. 8. differemus. De illo vero testimonio ad Rom. 11. *Reliquia secundum electionem gratiæ facta sunt.* iam notauimus cap. 6. explicari posse de electione gratiæ sine meritis: imo illum esse germanum sensum illius loci, tamen si Augustinus de electione ad gloriam ex operibus gratiæ quodam in loco intellexisse videatur, vt inibi retulimus, sed neutro modo quidquam nostræ sententiæ obesse potest.

ad Rom. 11.

Augustin.

Ioan. 15.

Augustin.

Matth. 25.

ad Rom. 8.

115

Denique illud Ioan. 15. *Non vos me elegistis*, quis dubitet de electione ad Apostolatam intelligi quod si ad omnes alios extendere velimus, sicut extendit Augustinus tractatu 86. in Ioann. & primo de prædestinatione. Sanct. cap. 17. & cap. 19. atque alibi sæpenumero, non de electione ad gloriam, sed ad gratiam exponi debet, sicut intelligit Augustinus illis in locis. Nam si de electione ad gloriam loquamur, cum ipse dicat Matthæi 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi.* Esurienti enim, & destituti manducare. Quis dubitet ipsos gratia Dei adiuuante gloriam sibi comparasse, ac proinde elegisse sibi Deum. Et certe si Apostoli prius recepissent Christum hospitio, & bene erga illum se gessissent, vt Apostolatam mererentur, & impetrarent, sicut nos meremur vitam æternam, nequaquam illis diceret Christus, non vos me elegistis in magistrum, sed ego in discipulos, & Apostolos vos elegi. Aferunt aliqui testimonium illud ad Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit, &c.* Vt probent electionem ad gloriam priorem fuisse prædestinatione gratiæ: eo quod prius dicat Apostolus, quos præsciuit, id est elegit ad gloriam, eos prædestinauit. Sed nullus est, qui locum illum hoc modo interpretetur. Veram autem illius explanationem disput. 91. cap. 18. referemus. Et hæcenus de testimonijs Scripturæ primam adductis.

Deinde ad testimonia Patrum iam satis responsum est cap. 4. huius disput. vbi fufius ostendimus Aug. Prosperum, & Hilarium nunquam contendisse cum Græcis Massiliensibus, & Gallis de electione ad vitam æternam, sed de electione ad gratiam; nec Massilienses, Faustum Regiensensem, & ceteros Episcopos Galliarum alio modo intellexisse Aug. nec contra ipsum probare voluisse electionem ad gloriam ex meritis gratiæ factam fuisse, sed solum gratiam ex meritis, aut ex iuitio aliquo bono liberi arbitrii nobis donari: ex quo etiam palam demonstrauimus cap. 8. nihil contra electionem ad gloriam factam ex meritis gratiæ, Augustinum doctum esse. Porro quam sit vera sententia illius, Græcorum vero, & Massiliensium, atque Gallorum absurda, quod ad electionem gratiæ attinet; & quam modeste Aug. auctoritati Græcorum Patrum in hunc eundem sensum respondeat, disput. 91. cap. 11. parebit. Recentiores ergo illi Theologi à nobis citati cap. i. huius disput. re, & historia non bene perspecta, putarunt Augustinum, Prosperum, & Hilarium contra Græcos, Massilienses, & Gallos de electione ad gloriam contendisse, cum talis contentio nec minimum indicium possint ostendere.

CAPVT XIII.

Diluntur duæ rationes eiusdem opinionis.

Reliquum est, vt rationibus primo cap. allatis pro opposita sententia faciamus satis. Ad primam rationem respondeo ex doctrina OKANI in 1. dist. 41. q. 1. in fine, voluntatem efficacem finis non semper esse priorem voluntate efficaci applicandi media ad illum finem: nam bifariam potest spectari finis. Aut enim refertur ad voluntatem eius, qui eum consequi debet, & ad hoc media apponit: aut refertur ad voluntatem illius qui non sibi, sed alteri illum proponit, & libertati illius consequendum relinquunt. Priori modo nemo potest moueri ad applicandum media, vt adificatur finem, nisi ex voluntate efficaci finis, quæ proinde debet esse prior omni voluntate mediæ: & ita quicunque ex voluntate consequendi gloriam, vult iustificari, & merita habere, prius vult gloriam, & ex desiderio illius efficaci quaerit media, nempe iustificationem, & merita. Posteriori modo non est prior voluntas effici finis, quam suum in Theologia doctum euadere, & ex hoc desiderio tribuit illi omnia media necessaria, habet quidem voluntatem efficacem mediæ, siquidem illa tribuit: at non habet voluntatem efficacem finis, sed solum simplex desiderium, eo quod talis finis eius potestari non subest. Id ipsum accidere potest, etiam si finis sit in potestate proponenti, si tamen decerneret illum labori, & industria alterius relinquere, atque tunc præsertim, quando illum non alio titulo præfinit dare, quam in præmium, & brauium meritum, vt exemplis domesticijs satis manet probatum c. 9.

Ratio vero discriminis est, quia finis, qui alteri proponitur consequendus, non tam est proponenti, quam eius, cui proponitur. Ille enim, qui proponit, non consequitur finem, sed alteri, vt promereatur, aut consequatur, relinquunt; quare satis est, si ipse simplici affectu considerans alteri finem, ei velit efficaci voluntate præbere media.

Finis

Finis autem, quem sibi consequendum quis apprehendit, ad ipsum spectat, & ideo ipse prius debet velle efficaciter illum consequi quam media applicare, quia tam finis quam media sub sunt potestati, & voluntati, & sibi exequenda committuntur. Sic ergo non mirum, si Deus proponens alijs vitam eternam in primum, non decernat ex seipso merita dare, sed simplici affectu desiderans eam hominibus efficaci voluntate velit dare media gratia, vt illam promerentur & consequantur. Id quod circa reprobos etiam obseruat, quibus ita dat aliqua media gratia, vt ex desiderio, quo illis vult vitam eternam, tribuat. Quod autem quibusdam solum efficaciter velit dare media sufficientia, alijs vero etiam efficaciam vsque in finem vitæ, non arguit in Deo efficacem voluntatem dandi quibusdam vitam eternam ante merita; sed ex eodem simplici affectu potest dare vni media efficaciam, & alteri solum sufficientiam. Sicut inter homines quoque contingit, nam si quisquam proponat primum legitime certanti in agone, & ex multis, qui ad eum ludum conueniunt, cuidam meliora arma, & quæ nouit efficaciter futura tribuat, alteri vero non ita bona, quantumvis illi cui meliora dedit, palmam magis desideret, nunquam efficaci voluntate decernit ei primum dare, nisi præuisa victoria: ex simplici igitur affectu circa finem, potest procedere voluntas efficaci dandi media, non solum sufficientia, sed etiam efficaciam.

Sed dicit aliquis: sicut inter homines nemo tribuit meliora arma ad illum finem, nisi illi, cui ardentius desiderat victoriam, & primum, sic saltem in Deo concedamus maiorem affectum dandi gloriam ijs, quibus prædestinatione sua, efficaciam, & maiora præparat media gratia, quam alijs, alioqui nisi Deus peculiari voluntate alicui decerneret finem, neque peculiaria vult ei media præbere: etenim illa maior voluntas mediocum sine ulla ratione. Sunt, qui propter hoc argumentum, & ob testimonia quædam Augustini a nobis superius adducta, dicant electionem ante opera, quam appellat Augustinus electionem gratia, fuisse etiam circa beatitudinem, ita vt peculiari voluntate, & affectu maiori, tamen si simplici, Deus prædestinationis voluerit vitam eternam, & inde peculiaria media gratia eis præparauerit. Testimonia Augustini omnia, quæ retulimus ca. in quibus de electione gratia ille agit; præsertim vero illa duo ex lib. de correptione, & gratia cap. 7. & 9. vbi dicuntur electi ante opera ad regnandum cum Christo, & Hypognoticon 6. circa medium, vbi dicuntur prædestinati ad vitam eternam: & Concilij Valentini sub Lothario imperatore, vbi dicuntur electi ad vitam. Colligunt autem hanc peculiarem, & maiorem voluntatem dandi quibusdam gloriam ante opera, ex effectu, nempe ex abundantiori gratia, qua ipsos præuenit Deus.

Ceterum licet horum sententia vera esset, non propterea dicere, cogere cum Scholasticis allegari in primo cap. ante omnia opera Deum decernisse efficaci voluntate eligere aliquem ad gloriam; in quo sensu ipsi plane loquuntur. Verum neque secundum Augustini doctrinam, neque secundum rationem hoc modo philosophari cogimur, sed iuxta prædictam opinionem dicendum est, antequam Deus decerneret, præuenire gratia sua electos, fuisse æqualem in eo voluntatem dan-

di gloriam prædestinatis, & reprobis, quatenus ad gloriam referretur: discretionem vero solum inceptisse ex eo instanti, quo vni maiora media gratia, quam alteri præparauit, & in hoc positam esse electionem gratia, de qua multum, sapienterque Augustinus contra Pelagianos, & Semipelagianos differit.

Et primum sane quod ad Augustini sensum spectat, facile hæc opinio probatur ex eo, quod cap. 4. satis superque notauimus: nimirum inter Augustinum, cuiusque discipulos ex vna parte, & Semipelagianos ex alia nunquam fuisse controuersiam de consequitione gloriæ, an daretur ex meritis, nisi cum Pelagio, qui dicebat ex meritis arbitrij. Quare quoties cum Semipelagianis disputat de electione eterna, & contendit sine meritis factam fuisse, non de gloria, sed de gratia loquitur: imo quoties contra Pelagium dicit nos fuisse electos ante opera, vt esse mus sancti, semper de voluntate dandi gratiam sine meritis sermonem habet: nam & Pelagius gratiam ex meritis etiam dari dicebat. De gloria autem, an præfinita fuerit, vel peculiari affectu alicui eam desiderauerit Deus ante merita gratia, ne verbum quidem habet Augustinus. Sua namque nihil omnino intererat de hac re disputare, cum de ea nulla cum Pelagio, neque cum Semipelagianis quæstio incidisset, vt late in eo cap. explicauimus; nec vllus vnquam asseruisset tempore Augustini gloriam sine meritis præparatam fuisse. Cur ergo Augustinus in ea electione, quam in illis locis citatis ab aduersarijs, appellat electionem gratia, de hac peculiari voluntate circa gloriam loquere- tur, cum potius de peculiari voluntate dandi gratiam, sicut de ipsa gratia donatione, disputandum esset: tractans enim de electione gratia sine meritis, differit simul de ipsa gratia donatione gratis, & sine meritis facta; eadem namque omnino quæstio est, vt cap. 4. notauimus: & perinde est, dicere, electionem gratia factam esse sine meritis, atque gratiam ipsam sine meritis donari. Afferere autem in Deo peculiarem aliquam voluntatem dandi gloriam electis ante merita præuisa, nihil omnino refert ad gratia commendationem, siquidem gloria ipsa non est gratia, quam Augustinus, & Paulus commendant, sed est gratia pro gratia. Cur ergo Augustinus, cum nitebatur probare gratiam sine meritis dari, ad peculiarem illam voluntatem dandi gloriam recurreret: Quare autem homines dicantur electi electione illa gratia ad vitam, & ad regnandum cum Christo, explicauimus cap. 8. huius disputationis.

Præterea ratione id ipsum probatur ex doctrina S. Thomæ supra quæst. 20. art. 3. vbi cum quæ- sisset, vtrum Deus æqualiter omnia diligeret, hac distinctione præmissa recte respondit, cum amare sit velle alicui bonum (vt ex Aristotele, eo loco probauimus) bifariam intelligere possumus vnum magis, quam alium amari. Vno modo ex parte ipsius actus dilectionis, quia intensus fertur in vnum, quam in alium; & sic inter homines contingit, vt cum quis duobus vult aliquid æquale bonum, quandoque vni vult intensius, quam alteri: hoc autem modo non potest Deus vnum magis, quam alium amare, sed omnia æqualiter diligit: eo quod actus dilectionis, quo Deus creaturas amat est sua ipsius essentia, quæ in se eadem omnino est. Id quod adeo verum arbitrantur omnes Theologi, vt asserant, eodem profus actu dilectionis,

Augustin. 120

Mens Augustini, cum de electione agit contra Pelagium, & Semipelagianos.

121

S. Thom.

Aristot.

Ex parte actus diuini omnia æqualiter diliguntur à Deo.

118

Exemplum aduersarij.

Dubitatio.

Quid de hoc dubitatio propter nonnulla Augustini.

119

Con. Valent.

Augustini sententia.

120

Ex parte actus diuini omnia æqualiter diliguntur à Deo.

lectionis, quo Pater, & Filius æternus diligunt Spiritum sanctum, diligere etiam creaturas, tamen non æque primo ad Spiritum sanctum, & creaturas referatur, quæ sane diversitas non ex parte actus, sed ex parte ipsarum creaturarum sumitur, quia minus necessarium esse habent, quam Spiritus sanctus, ut disp. 143. cap. 5. dicemus.

Quo modo Deus rem unam magis quam aliam diligere possit.

Altero modo unum magis diligitur, quæ aliud, non quia intensius, sed quia maius bonum illi consideramus: & hoc pacto Deus magis potest diligere unum, quam alium, quatenus vni maiora bona, quam alteri desiderat. Adde etiam, quod cum in eodem actu, quo alicui volumus bonum, sit duplex respectus amoris, nempe amicitie erga personam, qui dicitur complacentia; & concupiscentie erga rem, quam illi desideramus, ut ibidem explicatum à nobis est, possemus in Deo considerare maiorem complacentiam erga res rationales, quam erga irracionales, eo quod perfectiores illæ sunt, si erga irracionales amor Dei ferri posset sub ratione complacentie, & amicitie: sed quia in irracionales hoc modo non fertur, ut ibidem notauimus, hæc comparatio amoris amicitie in Deo fieri non potest. An vero in unam creaturam rationalem maiori dilectione amicitie, & complacentie feratur, paulo post videbimus.

Doctrina animaduertenda.

Ex hac doctrina optime inferitur id, quod dicebamus, nimirum Deum non posse ante merita præuisa peculiarem, aut maiorem affectum, & simplex desiderium vitæ æternæ habere erga prædestinatos, quam erga reprobos. Nam hæc inæqualitas non potest sumi ex parte Dei: non dico solum nobis notam esse non posse, sed etiam re ipsa non esse: actus enim Dei in se (quæ sua est essentia) maior, & minor esse nequit. Ex parte vero rei volitæ talis inæqualitas attendi non potest, eo quod ante merita præuisa omnibus eandem gloriam desiderat, nec vni maiorem, quam alteri, sed vnicuique quantum in se est sine mensura, nisi ipse homo meritis suis limitem ponat. Quoniam sicut Deus non decernit efficaciter dare vitam æternam ante merita, eo quod ex meritis illam daturus est, sic etiam non magis desiderat vni, quam alteri tantam, vel tantam gloriam, nisi ex tantis, & talibus meritis: imo vero si gratiam præuenientem, & præsentem iustitiam aliquorum reprobos consideremus, qualis fuit in Apostolo Iuda, & alijs viris sanctissimis, qui à gratia tandem exciderunt, maiorem illis desiderasset gloriam, quam alijs, qui vno, aut altero merito eam consequuti sunt. Quis enim negat, sanctis viris totam illam gloriam desiderasse, ad quam eorum merita referebantur: Illa vero sic comparata multo maior erat, quam beatitudo multorum prædestinatorum: quomodo ergo magis dilexit prædestinatos? Certe non quia ad maiorem gloriam voluntate antecedenti eos ordinavit, sed quia efficaci voluntate post merita illis voluit gloriam, alijs vero sanctissimis, qui à gratia exciderunt, hoc modo non voluit. Tum etiam quia prædestinatis voluit maiorem gratiam, efficacem nimirum vsque ad finem vitæ, quæ maius donum est, alijs vero non.

Potro si Deus maiori voluntate prædestinatis desideraret vitam æternam, quam reprobis, non ex parte rei volitæ esset sumenda inæqualitas, ut probatum est, sed ex parte personæ: quia vni magis esset affectus amore amicitie, & complac-

tia, quam alteri: non quidem ex parte actus, sed quia vna persona in se alia nobilior esset, & natura perfectior. Sed neque hoc modo vult magis prædestinatis beatitudinem ante merita, quam reprobis: sunt enim multi reprobis, qui secundum naturam suam magis Deo placent, quibus tamen minora tribuit charismata gratiæ sue, & maiorem gloriam desiderat. Tum etiam cum Deus vult beatitudinem alicui, aut gratiam suam, vt bonum illius est, tamen si placeat persona secundum naturam; inde tamen in Deo non sumitur mensura volendi ei bonum, hoc enim tribuit, vt sibi placeat, non iuxta dignitatem naturæ eius, cui tribuit: & ita tribuendo homini gratiam, constituit illum sibi gratum, & amicum, cui antea solum affectus erat non amore, qui esset amicitia, licet amor suus ferretur in illum ad modum amoris benevolentie; amicitia enim est cum mutua communicatione, & similitudine naturæ, quæ non conuenit homini antequam iustificetur, de quo fufius disseremus. 2. q. 113. a. 2. Ceterum cum Deus vult alicui bonum naturale ex complacentia personæ, secundum quod natura talis est, magis diligit meliorem, & maiora illi tribuit dona naturalia, quæ ipsi nature quasi debita erant.

Ex dictis ergo perspicuum est, ante præuisa merita Deum non desiderare vni magis vitam æternam, quam alteri, sed omnibus æqualiter; totamque inæqualitatem dilectionis in eo esse, non vt desideret vni maiorem gloriam, sed vt velit vni maiorem gratiam, quam alteri, voluntas ergo Dei relata ad gloriam, vt ad bonum volitum, communis est, & æqualis ante merita: relata vero ad gratiam maior est erga prædestinatos, & electos, quæ erga alios: atque ideo dicuntur electi, quia ad maiorem gratiam à Deo destinati ante merita sunt, non quia ad maiorem gloriam, vt ex Aug. c. 4. & 8. monstratum est.

Quod vero dicebatur in argumento, voluntatem dandi maiorem gratiam esse sine ratione, nisi procedat ex voluntate maiori dandi gloriam, quia voluntas peculiaris circa media supponit peculiaritatem circa finem, nihil difficultatis habet. Nam licet in hominibus id locum habeat, vt qui vni magis quam alteri vult dare media ad aliquem finem maiori affectu ei desideret finem; in Deo tamen non ita accidit, vt prædictum est. Et idem argumentum contra aduersarios fieri potest. Nam si Deus ex se vni vult magis vitam æternam, quam alteri, ob quam rationem, vel ex quo peculiari fine ita vult? Siquidem omnia creata, quæ Deus vult, tanquam media solum vult, non tanquam finem, vt disput. 82. cap. 2. probauimus. Sicut ergo debent aduersarij fateri Deum ex eadem dilectione, quæ se tanquam finem diligit, vni velle magis vitam æternam, quam alteri, sic etiam ex eadem voluntate, quæ omnibus vult vitam æternam, potest vni magis quam alteri desiderare gratiam, quia vni maiorem, quam alteri vult donare. Summa igitur ratio apud Deum est eius voluntas, & beneplacitum, quia ita sibi placuit. *Voluntati enim eius quis resistit*, vt ait Paulus ad Roman. 9. qui sane loquitur non tam de resistentia, quæ potentia fieri posset, quam ratione, vt disp. 91. cap. 11. dicemus, & contextus ipse demonstrat.

Verum arguet aliquis ex illo axioma *voluntas est illud magis*. Si ergo Deus vult gratiam propter gloriam

gloriam, sequitur magis velle gloriam; sed vult gratiam voluntate efficaciaci, ergo prius etiam efficaciter vult gloriam. Respondeo primum, in Deo hoc argumentum vim nullam habere. Ipse enim non vult vnum propter aliud, sed vnum vult esse propter aliud, vt disp. 82. c. 2. explicatum est. Vnde non fit, vt desideret magis vitam æternam hominibus ante opera, quam ipsam gratiam, sed vt magis præcipuum, & primum esse velit gloriam, quam gratiam, & ita est: desiderat enim tanquam quid maius, homines esse beatos, & ipsa beatitudine iustos, quam eos in hac vita iuste viuere.

Ceterum quia inter homines contingit, vt ille, qui proponit alteri præmium consequendum per merita, prius velit ipsum consequi præmiu, quam dare media, quibus id consequatur, & qui proponit finem in hoc casu, vere dicitur velle vnum propter aliud, & non tantum vnum velle esse propter aliud, idcirco pronuntio ex illo axioma non sequi, eum qui vult alteri finem, & propter illum vult media præbere, velle efficaciter finem, si vult efficaciter dare media: quia cum media ipse debeat dare, & suæ curæ relinquatur, debet illa velle efficaciter: sed cum finem ipse non debeat sibi consequi, sed alteri acquirendum proponat, non oportet vt velit efficaciter ante omnia illum donare. Satis ergo est, si intentus velit huiusmodi finem, quam media, vel tanquam quid præcipuum, & gratia sui: & ita etiam inter homines accidit, Deus autem non potest intentus illum desiderare ob rationem dictam: satis igitur est, vt tanquam præcipuum desideret: & hæc sufficiant circa primam rationem.

Ad secundam rationem cap. 3. ab aduersarijs adductam respondeo, discretionem prædestinationis ad reprobis, etiam si non incipiat à voluntate dandi vitam æternam, incipere tamen ante consentium ipsorum absolute præuisum, & ita à solo Deo, non à se ipsis fuisse à massa perditionis discretos, nempe per gratiam præuenientem, quam sine illis Deus dare decreuit, & per singulas occasiones eorum voluntates vsque in finem vitæ præparate. Hec est illa gratia congruæ vocationis, de qua multum in disp. 88. cap. vlt. dictum est, quæ cum sit peculiaris in prædestinatis, eo quod detur in ea proportione, & mensura, qua certo nouit Deus effectum habituram, recte dicitur, per eam prædestinatos à reprobis discerni: & quia nobis sine nostro consensu datur, recte etiam dicitur, Deum non à nobis, sed nos à Deo gratis omnino eligi. Quomodo vero ratione sciant, qua Deus nouit effectum habituram, dicatur gratia peculiaris disp. 98. c. 6. explicabitur. Ad hanc ergo eliduntur homines ante merita, non tamen voluntate efficaciaci dandi eis vitam æternam. Idcirco Aug. de corrept. & gratia cap. 7. dixit, inter vocatos ideo quosdam esse electos, quia secundum propositum, hoc est, congrua vocatione fuerunt vocati.

Hæc igitur instantia & ordinem rationis in Dei prædestinatione nunc possumus assignare, vt deus voluntate antecedenti omnibus æque voluerit vitam æternam, non in determinato gradu, sed quam quisque suis meritis impetraret. Deinde videns, quid vniuersalisque arbitrium cum hac, vel illa vocatione, si daretur per singulas occasiones vsque ad mortem facturum esset, quibusdam voluit dare congruam, per certam periodum vitæ, qua in gratia decederent, alijs vero non. Demum finem

vniuersalisque videns, habenti merita, & decedenti in gratia sua, decreuit efficaciter dare vitam æternam, alterum vero exclusit à regno. Quocirca electio ad gloriam, quæ non fit nisi præmissio examine vt cap. 9. ex Aug. probauimus, posterior omnino est in hoc ordine, prior autem electio ad gratiam, quæ merita quoque præcedit. Nec electio ad gloriam est simul cum meritis, vt putarunt Bartholomæus Camerarius & alij, sed ex meritis gratiæ tanquam ex causa.

Hunc ordinem non obscure indicauit Fulgentius *Fulgen. lib. de incarnatione, & gratia Iesu Christi in epilogo illius, Confirmatur Fulgentij testimonio.* his verbis: Deus enim, qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua, & donum illuminationis ad credendum, & donum perseverantia ad proficiendum, atque permanendum (ecce varia gratiæ auxilia per singulas occasiones) & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparauit. Vbi in ordine prædestinationis ipsam glorificationem ultimo loco constituit, sicut etiam in re ipsa est. Eodem autem ordine fuisse à Deo dispositam, scilicet ex meritis, sicut in tempore datur, sequentibus verbis explicat: *Quique non aliter perficit in opere, quam in sua sempiterna, atque incommutabili habet voluntate dispositum.* Ecce non assignat vnum ordinem in mente Dei, alium vero in executione ipsa, sed eandem esse dicit iuxta ea, quæ cap. 7. & 9. à nobis notata sunt.

DISPUTATIO XC.

An saltem aliqui eximie à Deo dilecti ad gloriam electi fuerint ante præuisa merita.

Opinio OKami, Gabriels, & Catherini. cap. 1.

Tam homines, quam Angelos omnes post merita gratia ad beatitudinem fuisse electos contra Catherinum asseritur. c. 2.

Cetera, quæ Catherinus in sua opinione docet, abire impugnantur. cap. 3.

CAPVT I.

Opinio OKami, Gabriels, & Catherini.

SI recte expendere, quæ disp. præcedenti dicta sunt, nulla nobis superesset difficultas. Rationes enim ibi allatæ non modo de quibusdam, verum etiam de omnibus prædestinatis vniuersum, idem probant. Sed quia nonnulli recentiores cum Catherino, de Angelis, imo de quibusdam hominibus eximie dilectis, peculiarem existimarunt esse rationem: ideo hæc disp. non nihil contra eos dissentere necessarium duxi.

Sunt ergo ex recentioribus Theologis nonnulli, qui putant fuisse tres ordines Angelorum in diuina prædestinatione, eodem pacto atque Catherinus eos inter homines constitui inter Scriptores tamen, quos ego hæctenus legi, nullus est, qui de Angelis peculiarem instituat disputationem, quod ipse stat ad electionem vitæ æternæ, de qua nunc disputamus. De hominibus vero, & eorum prædestinatione loquens Catherinus li. 1. de prædest. Dei cap. vltimo & lib. 3. cap. 1. & 2. tres ordines hominum constituit, primum prædestinatorum, quos appellat eximie prædestinatos, & hos asserit à solo Deo ita absolute ad gloriam prædestinatos fuisse ante meritum præuisionem, hoc est, ita Deum

Augustin.

Fulgen. Confirmatur Fulgentij testimonio.

129

Primus ordo prædestinatorum ex Catherino.

Solutio prima.

Aug.

Al. secun.

Aug.

Prædestinatio quæ dicitur in massa perditionis dicitur ad reprobos à solo Deo.

128 *Aug.*

Instantia.

Instantia.